R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
C
320
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Rau. Vill. C. 320
(1)

THESAURUS
IURISPRUDENTIAE IUVENILIS

OPUSCULA, ET INSTITUTIONES

CELEBRIUM QUORUMDAM
IURISCONSULTORUM AMPLECTENS

A D

Solidam legum cognitionem adstruendam

NUNC PRIMUM IN UNUM COLLECTA.

TOMUS PRIMUS

Iurisprudentiae discendi docendique, eiusdemque scienter pertractandi rationem continens.



NEAPOLI MDCCLIV.
EX TYPOGRAPHIA MUTIANA
SUPERIORUM PERMISSU.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO DOMINO
MARCHIONI
D. NICOLAO
FRAGGIANNI
REGALIS CAMERAE S.CLARAE
QUINQUEVIRO
PRAEFECTO ANNONAE
REGNI SICILIAE PRAESIDI
CONSULTORI
REGIAE IURISDICTIONIS
VINDICI PROBATISSIMO
CETERA
HEROI TOGATO
MAECENATI SUO BENEFICENTISSIMO
EDITOR
D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO

AD IUVENES LEGUM STUDIOSOS.

CElebrium quorumdam auctorum opuſcula legalia, quae iam diſperſa, rara, nec venalia, nunc ſub uno *Theſauri Iuriſprudentiae Iuvenilis* adſpectu poſita lucem vident, eo potiſſimum in unum a me collecta, ut theoriae legum certitudo, praxeoſque ſoliditas promoveatur: ne, quum iuventus in negotiorum civilium procuratione ſe miſceat, ab recto agendi tramite deflectat, vel ingenio ſubacto maturoque deſtituatur. Ad id autem adſequendum quum ſaepius mentis aciem intenderem, quumque ſaepius omni attentione faciliorem viam rationemque, qua iuventus ad veram legum cognitionem, earumque perfectam applicationem duceretur, & impedimenta illam retardantia perpenderem; nulla magis apta inveni remedia, quam ut in unum veri nominis ſyſtema iuriſprudentiae inſtitutiones proponerem. Talem enim legum ſyſtematis naturam cognovi, ut & mentem noſtram adeo exacuat, quo in data qualibet facti ſpecie nexum legis cum publica ſalute tuto introſpiciat, & voluntatem neceſſario quo-

dammodo flectens id faciat; ut nos in iure exercendo a iuſtitiae aequitatiſque tramite non aberremus. Quoniam autem iuriſconſulti proprium eſt iuſtitiam colere, ius ſuum unicuique tribuendo; contra vero quum hoc ius minime accurate ſub legibus contineatur, ad aequitatem firmiter confugere oportet: ſi leges quarum fieri debet applicatio certae non ſint, & aequitas minime demonſtrata, eius intellectus continuo variis, involutiſque fluctuat doctorum diſceptationibus, eiuſque voluntas neque conſtans, neque perpetua erit in iure tribuendo: unde oritur vulgata illa omnium temporum querela, iuriſconſultos ut plurimum iniuſtitiae ſtudioſos, iuriſque perſequutionem utilitate metiri.

Quum autem propoſitionum demonſtratarum ſyſtema ex earum compactione, qua omnes inter ſe connectuntur, eaque diſpoſitione, qua antecedentia fiunt principia cognoſcendi ſequentia, oriatur; hinc patet & legum ſyſtema condi non poſſe, niſi leges aliae ex aliis, aliiſve principiis demonſtrentur, hoc eſt, niſi leges *methodo demonſtrativa* tractentur: quo id fit, ut in *ſyſtemate iuridico* iuriſprudentia *methodo demonſtrativa* proponatur. Hoc autem fieri

fieri poſſe clare patet iis, qui acutius cernere ſolent, quique conſiderant, legislatores, quum de legibus cogitaverunt, rerum notiones ob oculos habuiſſe, eaſque imperantis regulas eſſe ad promovendam reipublicae ſalutem comparatas, quibus imperantis ipſius voluntas a cauſſis determinata vel ab occaſione, vel ab aequitate, vel a ſtatu reipublicae deſumtis, declaratur: *methodo* autem *demonſtrativa* non novas fingi definitiones, neque nova dogmata condi, ſed & notiones receptas, & vera maiorum ſubſiſtere inventa; haec vero tantummodo magis in apricum protrahi, & ab omni erroris haeſitatione liberari, ne forſan mendaci forma nobis blandientes amplius imponant.

Illa vero eſt *methodi demonſtrativae* ſuprema lex, ut ea praemittantur, per quae ſequentia intelliguntur adſtruunturque; illaque iuriſprudentiae civilis indoles, ut & quidquid homini natura tributum, & conſenſum liberarum naturaliumque ipſius actionum perfectionis adſequendae gratia, & hominum coniunctionem naturalemque inter ipſos ſocietatem ſequatur; quibus omnibus tam theoretica, quam practica conſtat philoſophia. Quapropter ad *iuriſprudentiam* in *ſyſtema* redigendam, ac *meth-*

odo demonſtrativa tractandam, univerſam adhibere philoſophiam oportet, in qua tantummodo fontem legum,& iuris datum eſt reperire. Recte igitur ait Cicero (*a*), ſe non a praetoris edicto, neque a duodecim tabulis, ſed penitus ex intima philoſophia hauriendam iuris diſciplinam putare; quinimmo & hanc iuriſprudentiam, non autem illam pervulgatam, facilem, humilemque empiricorum hiſtoricam legum cognitionem ab eo exſpectari putaſſe, qui ſe utilem, nec iniuſtum praebere, verumque iuriſconſulti nomen vindicare cupiat.

De hac igitur iuriſprudentia loquor, quum de *ſyſtemate iuridico* verba facio; quoniam propria experientia ſum edoctus, ex ea omnimodam *certitudinem*, accuratamque applicationem pendere. Demus enim de negotio aliquo in foro diſceptari, exactaſque ibidem definitiones conſtitutas eſſe; tum id continuo patebit, quaenam praeciſe requirantur ad probandum,quale ſit negotium,ex quo lis originem ducit,quod ſi propoſitiones ſint etiam determinatae, ſtatim ex hypotheſibus legum conſtabit,quae de facto probanda, ut lex tuto applicari poſſit. Omnes igitur exſulabunt

(*a*) *Cic. lib.*1. *de leg.*

bunt de quaeſtione aliqua diſceptationes, & diverſae de eodem facto ſententiae, nec tempus omne in iis adſtruendis, quae cum propoſita re nihil commune habent, inutiliter teretur. Quoniam vero non una eademque ratio eſt, cur cauſſae tam civiles, quam criminales ſtatim decidendae ſint, nec inutiles nectendae morae; non utique oleum perdit, qui operam huic legum cognitioni adſequendae dederit, ne cauſſarum cognitioni multum temporis impendatur.

Huiuſmodi igitur iuriſprudentia animo nobis neceſſario evicto, firmus, & immotus oritur aſſenſus, non continuo, ſed rerum quadam ſerie gignendus, ac non niſi propoſitioni ſufficienter explicatae & probatae, atque intrinſecis rationibus praebendus. Hoc vero minime exſpectandum ab eo, qui iudicium deproperans, propoſitionem pro vera habet, antequam fuerit ſufficienter explicata, ut eam ſatis intelligat, vel ſufficienter probata, ut de veritate recte iudicium fieri poſſit: nec ab eo, qui pro *convictione perſuaſionem*, & pro *aſſenſu praecipitantiam* in iudicando collocans, levi ratiunculae acquieſcit. Hinc fit, ut qui in *iuriſprudentia* ad *ſyſtema* redacta continuo verſatur, eius animo

ſeſe ingeneret idea exemplaris tum *ſyſtematis* ipſius, tum *convictionis* firmique aſſenſus; continuaque regularum dialectices applicatione in iſtiusmodi exercitio diuturne perpetuoque conſiſtens, firmum ſibi tandem comparet habitum, cuius ope levi admodum negotio, ſalva ſyſtematis totius harmonia, factis legibus non expreſſis legum ſententiam aptabit.

En igitur quod inter veri nominis iuriſconſultum,& empiricum intereſt;huic enim non licet veritatem legum, ut par eſt inveſtigare, earum nexum inſpicere, demonſtrationeſque rite perficere, ac de doctorum controverſiis rectum ferre iudicium; quippe cui propoſitiones iuridicas ob dicentis tantum auctoritatem pro veris habere conceſſum. Quamobrem quum verba legis e corpore iuris in medium attulerit, *praeiudiciorum auctoritatumque* ingentem cumulum confecerit,nihil ſupra a ſapientiſſimo mortalium fieri, aut excogitari poſſe putabit; quum tamen ipſe, in notionibus obſcuris confuſiſque verſatus,& potiora iuris principia miſcens, confuſionem caliginemque in legum doctrinam inducat.Ex hoc vero hominum genere binae fluunt ſpecies, leguleiorum nempe,& rabularum;qui omnes de-

de notione ſcientiae parum ſolliciti, cognitioni veritatis pretium ex lucro vel fama ſtatuunt.

Sed noſtrorum temporum ea eſt felicitas, ut de huiuſcemodi furfuris hominibus nulla ſit penes nos exiſtimatio: etenim noſtra haec civitas tot tantiſque viris excellit, qui per eam, quae ſub Octaviano Auguſto viguit, noſtri invictiſſimi atque ſapientiſſimi Principis ſtudio inductam tranquillitatem, ſuis praeclaris elucubrationibus patriam ornant, ut dubitari non poſſit, ſcientias nullo umquam tempopore magis inclaruiſſe. Equidem loquuntur eorum opera dudum edita, quae innumeris ſcatent inventionibus, ut inde ſcientiae ipſae ad ſummum fere faſtigium evectae ſuperbiant. Patrios iſtos heroes aemulari debet noſtra iuventus ad ſtudium iuris animum appellens, quae quum hos videat inventis eximiis, aut praeclara reipublicae adminiſtratione, aere perennius ſibi monumentum exegiſſe; omnem movere debet lapidem, ut ſimilibus inventis, pulcherrimiſque laboribus nomen ſibi quaerant ſempiternum. Exemplorum uſus ideo non contemnendus, qui demum nobis prodeſt: haec enim utilia, quia in animo eorum

rum ope idea exemplaris, eaque lucida oritur, quae attentionem trahit, & ardorem accendit in ea, quorum meminiſſe, quaeve imitari debemus. Quod autem fieri convenit, id praeceptis eſt addiſcendum, quibus imprimenda notio eſt diſtincta & completa, ut praxi ſufficiat. Noſtrorum igitur heroum exempla animum iuventutis ardore afficere debent ad paria, immo magis praeclara praeſtanda; eius diligentiam excitare ad labores eoſdem, eademque ratione hauriendos, quibus & ipſi ad illum perfectionis, & gloriae gradum pervenerunt. Quoniam autem unam eſſe viam demonſtravi, quae ad ſolidam atque reconditam ducit iuris cognitionem, quaeve iuriſprudentiam certam expeditamque reddit, iuriſconſultos ingenioſos moratoſque praeſtat: hanc ut illi animi alacritate calcavere, ita & nos calcare oportet, ut ad eumdem famae ac perfectionis apicem deveniamus.

At non omnium librorum ſcriptorumque ea eſt ſoliditas, ut *methodi* regulis ad amuſſim congruant; quoniam alia haud completa, alia prolixa, alia obſcura, alia inutilia, levis alia denique ſunt tractationis. Accedit eo, quod non ea cuilibet eſt

cri-

critices regularum cognitio, ut in dignoſcendis libris dogmaticis parem vim experiri ſit datum. Hinc ſaepe ſaepiùs accidit, ut iuvenes, quoad iuſtas critices regulas librorumque notitiam adſequantur, ſciendi cupiditate per invios tramites volitent, a quibus multis iam exhauſtis laboribus pedem trahere, & ſaepius eumdem curſum denuo, & ſine fructu repetere opus habent; ita ut alii nimis defatigati ulterius non progrediantur, alii nimis ſero metam attingant, tempus, quod novis quotidie cognitionibus, noviſque inventis impendere deberent, ſimplicioribus tantummodo inſtructionibus perpetuo terentes. Quam dolet miſerrimam hanc hominum partem parvis admodum cognitionibus, plerumque humilioribus conſeneſcentem, aliiſque utilioribus deſtitutam videre, ac ea, quorum uſum non capiunt, pro puerilibus habere! Quamobrem quum maximae neceſſitatis eſſe cognoſcerem ſolidam inſtitutionum pertractationem, quae perſpicue, & complete huic ſatisfaciat ſcopo, quaeve iuventutem *ſcriptis, methodo, ac iuridico ſyſtemate* informet; hinc e bono publico eſſe duxi utiliora, atque repertu difficiliora paucis ſimul collecta tomis, iuventuti proficere cupienti, denuo typis edita proponere. Huic collectioni *Theſauri Iuriſprudentiae*

tide Iuvenilis nomen imponere placuit, ut & opuſculorum tractatuumque, ex quibus componitur, raritatem utilitatemque, & collectionem ipſam in gratiam iuventutis confectam, denotarem.

De ſingulis me heic verba facere haud quidem neceſſe habeo; quoniam auctorum aliorumque celebrium virorum praefationes, quae ſatis ſuperque inſtituto ipſo lectorem inſtruunt, cuilibet operi inſcriptae reperientur: de ſola igitur diſtributione iuventutem admoniturus me paucis expediam. Primo quidem tomo cel. *Leibnitzii Novam Methodum Diſcendae, Docendaeque Iuriſprudentiae* collocare iudicavi; tum quia nexum, quo haec facultas cum aliis inferioribus colligetur, aperit, tum quia ſtudiorum rationem, auctorumque delectum & criticam demonſtrat. libellus certe novitate argumenti commendandus (niſi ſi *Rennemanni Iuriſprudentiam* excipere volueris), profunditate tractationis admirabilis, ab omnibus laudatus, iam pridem diſtractus, paucorum manibus verſatus. At ſi haec ad libelli commendationem non ſufficiant, ſufficit certe Ill. Marchionis D. Nicolai Fraggianni R. Camerae S. Clarae Quinqueviri, huius noſtrae civitatis viri ſum-

ri ſummi, atque de litterarum republica benemeritiſſimi adprobatio, qui benignitate humanitateque admirabili inſtituto meo fidem dare, quique libello parvas notas adnectere gravatus non eſt. Huic ſubnectere placuit eiuſdem auctoris *Novi Corporis Iuris Reconcinnandi Rationem* deſiderio moguntini Electoris compoſitam.

Diſſertationes cel. *Chriſtiani Wolfii* quattuor primo eodem tomo comprehenſas curavi, quibus praecipue, quanam ratione ius ſcienter tractari poſſit, oſtenditur, multaque afferuntur exempla. In ſecundo porro tomo praecognita quaedam, & magis generales iuriſprudentiae iuſtinianeae theoriae ſtatuuntur. Reliqui vero tomi huiuſmodi iuriſprudentiae ſyſtema complectuntur. Hiſce tractatiunculis principia quaedam deteguntur, e quibus critice ad ſtudia iuvenilia legum hauritur, librorum quoque iuridicorum notitia, eoſque perlegendi rationes, quibus iuriſprudentia perficiatur, traduntur.

Experientia domeſtica me pluries admonuit hiſce opuſculis magnis voluminibus utiliora contineri; in his enim principia ad legum doctrinam apprime neceſſaria demonſtrantur. Ipſa quoque experientia le-

Digitized by Google

ctores mentis acie praediti edocebuntur, nihil eſſe in ſcientiis ſuperioribus tam arduum quod aſſiduo labore, legitima *methodo*, rectoque ratiocinio; nihilque in praxi tam implicatum, quod animadverſione, acumine, ſoliditate, ac profunditate mentis, claro lumine diffundi non poſſit: ſi quid enim difficultatis in negotiis humanis offendimus, id oritur ex eo quod diligentiam noſtram deſiderari patimur, noſque ipſos otioſiores reddimus in his principiis addiſcendis, quibus opus habemus, ut rationes facile detegantur, poſſibiles omnes factorum ſpecies inveſtigentur, ac illud de quo in praeſens agitur cognoſcatur.

En igitur, ut lectorem plurimis non detineam, quo ſpectavi, quae mihi agere propoſuerim, quave ratione me voti compotem futurum ſperem. Credo autem, niſi mihi ipſe indulgeam, meum laborem lectori profuturum, eique commendo omni cura parva haec volumina

Nocturna verſare manu, verſare diurna, ut in reipublicae utilitatem tot praeclara excogitata cedant, quod & ego pro meorum laborum pretio recipiam.

Datum Neapoli IIII. Nonas Martias MDCCLIIII.

Digitized by Google

G. G. L. B. de LEIBNITZ
OPUSCULA LEGALIA,
SIVE
LEGALIUM STUDIORUM,
CORPORISQUE IURIS OPTIME
CONCINNANDI RATIONES.

GODOFREDI GUILIELMI L.B. DE LEIBNITZ

NOVA METHODUS DISCENDAE DOCENDAEQUE IURISPRUDENTIAE

EX ARTIS DIDACTICAE PRINCIPIIS

IN PARTE GENERALI PRAEMISSIS, EXPERIENTIAEQUE LUCE.

b

Digitized by Google

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Neſcio an praefationem tibi debeam, benevole lector, quum tantilla ſcheda praefationis inſtar prope tota haberi videatur. ſed tamen mos mori publico gerendus eſt. Ebodum, inquies, cur ergo tu nova libro moliris, quum nolis forma libri? Quia, inquam, baec ad decus, argumentum ſcripti ad neceſſitatem pertinet. Sed ſunt hodie nonnulli, qui caligant in tanta luce mundi, maluntque, inventa fruge, glandibus veſci; horum odia omnibus imminent, qui meliora moliuntur. Ac iam olim Laurentium Vallam, *quod dialecticam ac moralem philoſophiam reformaſſet, contra furorem ſophiſtarum vix potuit favor regius tutari, quemadmomodum in Apologia ad Pontificem Maximum ipſe narrat:* Petrum Ramum, *profeſſorem regium, qui Ariſtotelem examinare, quam ſequi maluerat, omnium tota Gallia Germaniaque paedagogorum odia exercuerunt, donec in pariſienſibus illis nuptiis Ariſtotelis Manibus immolaretur: quis* Galilaei, *quis* Th. Campanellae *fata ignorat, quorum alteri exſilium minati*

ſunt, *alterum lento carcere invidi preſſerunt*: Nicodemus Friſchlinus *a collegis ſuis ad mortem uſque paſſus eſt perſequutionem*, *&* *tamen de grammaticis tantum quaeſtionibus certabatur*: *Nec minus* Gaſpar Scioppius *novis ſuae Grammaticae Philoſophicae regulis*, *ad compendium tamen diſcendi mire accommodatis*, *odium omnium per Italiam pueritiae ductorum in ſe concitavit*: *nihil de* Renato Carteſio *philoſophiae*, *nihil de* Guilielmo Harveo *medicinae reformatore dicam*, *quorum nullus invidiam aequalium*, *nullus odia vulgi effugit*, *donec emicuit veritas*, *&* *in ipſis ſaepe calumniatorum animis triumphavit. Nos nihil ad tanta nomina*, *ſi proprias tantum meditationes*, *non magnorum virorum reperta proferremus*, *quorum nullus eſt*, *qui non meliorem docendi rationem deſideret*, *quam &* *nonnulli in liberorum ſuorum ingeniis experti ſunt. Reperias enim hoc tempore puellos plurimos*, *doctiſſimorum plerumque filios*, *ad miraculum uſque in prima aetate eruditos*, *non tam ingenii magnitudine*, *quam arte inſtitutionis. Iudicium enim*, *etſi ante annos non veniat*, *poteſt tamen &* *in pueritia interrogando excitari*: *hoc enim voluit*
Pla-

Platonis *reminiſcentia,exhibitumque ſpecimen in Menone; ubi puerum Socrates a primis ſenſuque manifeſtis, nihil docens, interrogando tantum, ad ea deducit, quae vel ſubtiliſſimo cuique negotium faceſſant, incommenſurabilitatem ſcilicet diagonii & lateris in quadrato. Haec non deſunt qui fateantur, ſed ſingulares quaſdam in contrarium rationes habent, ſcilicet doctos eſſe iam tum nimis multos; & praematuram inſtitutionem obtrudere iuvenes officiis, auctoritate experientiaque carentes; ſurrecturam ſciolorum ſegetem, cavillatorumque rudioris ſenectutis; ſequutura praecipitia conſilia, & quaecumque ſunt mala iuvenum ſenatorum. Sed hi conſilia noſtra alīorſum accipiunt, neque enim id agimus, ut cito iuvenes ad munera publica veniant, ſed ut digni. Quia enim vita brevis, ars longa eſt, non poteſt nimis inſtitutio accelerari. Erit hoc manifeſtius, ſi de tota ſtudiorum ratione (etſi iuriſconſultum in primis formandum ſuſceperimus) in limine ad maiorem ſequentium lucem differemus. Nam &* Hugo Grotius *in egregia de Studio Politico ad Beniaminem Auberium legatum regium epiſtola, &* Chriſtophorus Colerus *in alia eiuſdem argumenti, &* Gi-

ſbertus Voetius Meyeruſque *bremenſis in Bibliothecis Theologicis ;* *ac* Michael Havemannus *in Amuſio , tum etiam* Henricus Moreelſe *in diſſertationibus de Studio Iuris , a tota ſtudiorum ratione rem repetiere , perque omnes ſe diſciplinas diffudere : quarum in* corpore iuris *veſtigia reperiri demonſtratum a nobis eſt* in Specimine Quaeſtionum Philoſophicarum ex Iure Collectarum. *Sicubi labimur , benevole lector, cogita quam ſaepe utilia ſuadeamus, & compenſatione facta errorum obliviſcere. Denique ſic habe , nos quae facienda diſcendaque dicemus , minime gentium omnia ipſos feciſſe vel dediciſſe; abſit haec a nobis iactantia , quia olim haec a nobis rerum cognitio abfuit ; ſed nos crede fungi vice cotis, acutum reddere quae ferrum ſolet , exſors ipſa ſecandi. Ita vale , & noſtra ſive placent, ſequere; ſive diſplicent, perfice.*

PRAE-

PRAEFATIO

CHRISTIANI L. B. DE WOLF.

TAnta ſunt LEIBNITII in rem litterariam univerſam merita, ut non modo totius Germaniae, verum etiam orbis eruditi univerſi lumen & ornamentum magno ſuo merito celebretur. Vaſtam eruditionem & ſcientiam cum virtute, ſine qua gloria vera, gravi, & ſolida nemo excellere poteſt, arctiſſimo vinculo copulans, aeternam gloriam conſequutus, ut, qui nefando auſu eam imminuendo ventoſam gloriam quaerit, nullam nanciſcatur. Adoleſcens ſtudio Iuris potiſſimum ſe conſecraverat, ſed more minime vulgari ſe eidem dedit, quum non modo ſcripta clariſſimorum iuriſconſultorum, verum etiam auctorum quorumcumque graecorum & romanorum, philoſophorum & mathematicorum tam veterum, quam recentiorum, ipſo-

rum etiam theologorum, omni aſſiduitate & diligentia perlegeret atque omnia perſcrutaretur, ita ut vix iuvenis factus eruditione altiſſima & ſcientia inter viros doctiſſimos emineret. Non opus eſt verbis, ubi rerum teſtimonia adſunt. Etenim vix annum aetatis vigeſimum primum compleverat, quum in lucem publicam proferret libellum mole exiguum, ſed doctrina ſubtiliore ac uberrima gravem de Nova Methodo Diſcendae Docendaeque Iuriſprudentiae, quam in itinere omni librorum apparatu (§.34. *p.* 2.) deſtitutus ita conſcripſerat, ut in bibliotheca inſtructiſſima confectus videatur, & acre ac ſubtile auctoris acumen ſpiret. Diu libellus hic deſideratur & a multis fruſtra quaeſitus fuit. Merebatur itaque, ut denuo recuderetur. Sunt tamen nonnulla, quae moneri conſultum duco. Scripſit, quemadmodum dixi, hoc opuſculum LEIBNITIUS, vix iuvenis factus. Quoniam vero per omnem aetatem, quamdiu vixit, in omni ſtudiorum genere indefeſſus haeſit, & veritatis amore nihil umquam antiquius habuit atque carius; mirum ſane videri minime debet, quod

in

in nonnullis, quae iuvenis olim ſtatuerat, poſtquam ea ſeveriori examini ſubiecerat, ſententiam ſuam mutaverit. Ita e. g. in theoria motus concreti, quam ſibi iuveni excidiſſe ipſe confeſſus eſt in Actis Eruditorum, quae Lipſiae eduntur, admittit vacuum, & materiae non tribuit niſi ſimplicem extenſionem ad motum atque quietem prorſus indifferentem, nec alia agnoſcit corporum elementa, quam particulas mole ac figura differentes: quae tunc temporis communis erat philoſophorum ſententia, anteſignanis eorum CARTESIO atque GASSENDO approbata. Enim vero ubi iudicio magis limato & polito perpenderat inextricabiles difficultates, quas hypotheſis iſta affert, & quam ea abhorreat ab omni ratione evidenter perſpexerat, miſſam eamdem fecit, quumque omni animi contentione in naturam corporum inquireret, ea ſine vi activa concipi non poſſe, nec ſine vi, qua omni mutationi reſiſtunt, quae aliunde venit, didicit, tandemque agnovit, phaenomena iſta intelligibili modo explicari minime poſſe, niſi admittantur ſubſtantiae ſimplices, quas *monades* appellavit. In eo

autem

autem ſibi adeo ſatisfecit, ut mihi dixerit, ſe ſuum de *monadibus* ſyſtema eodem rigore demonſtraturum, quo Euclides ac veteres geometrae theoremata ſua demonſtrarunt, ſi animum huc appellere per alia vacaret, nec ſe propterea a multis iam annis amplius legere quidquam, quod de principiis rerum materialium in lucem ab aliis editur. Videant ergo, quo iure LEIBNITIUM praecipitantiae cuiuſdam in iudicando, & neſcio cuius defectus acuminis accuſent, qui in iis., quae nondum ſatis explorata olim iuveni placuerant, ſibi reperiſſe videntur non quod pueri in faba, & iis audacter tamquam ipſi ignorata obiiciunt, quae ſolidiore diſcuſſione facta animum ſciendi cupidum exſatiaverunt. Quod ſi cui glorioſum videatur perſpicacia aequiparari LEIBNITIO iuveni, an non is famae ſuae melius conſuleret, ſi acumini ſuo diffidens hebetudinem ingenii ſui agnoſcere mallet, quod ea perſpicere nondum poſſet, quae LEIBNITIO viro innotuerunt: poſtquam omnes ingenii ſui nervos in ea exploranda intenderat, publice tamen magis indicavit, quam ſufficienter explicavit, ut, quemadmodum dice-

dicere ſolebat, fungeretur vice cotis. Sane ſi LEIBNITIO iuveni haec excidiſſent, dum nimia ac multivaria lectione obrutus omnia concoquere non poterat; excuſatior erat faſtus, quo quis eodem acutior videri affectat. Verum enimvero non opus eſt, ut exempla e longinquo petamus, quibus LEIBNITIUM maturiori aetate in nonnullis mutaſſe ſententiam ſuam, & a vulgaribus opinionibus, quas iuvenis amplexus fuerat, diſceſſiſſe: occurrunt talia quoque in praeſenti libello. Certe quae de infuſione diabolica (*part. I.* §. *9.*) tradit, ea cum ſyſtemate Harmoniae Praeſtabilitae, quod poſtea demum invenit, minime conſentiunt: conſequenter dubitandum non eſt, eum in aetate provecta infuſionem diabolicam in mancipia ſua tamquam opinionem nullo fundamento nixam reieciſſe. Huc etiam pertinet, quod (§.35.) animum noſtrum cauſſam motus corporis pronunciet, ut ideo iuvenis falſo ſibi perſuaſerit, ſe in Pneumatica & Philoſophia Practica propriis meditationibus ad certitudinem mathematicam perveniſſe: neque enim illo tempore eos adhuc fecerat in Matheſi progreſſus,

quos

quos poſtea demum fecit, ubi Pariſiis degebat, & conſilio Hugenii, mathematici conſummatiſſimi, uſus in ima adyta ſcientiae penetrabat. Quamobrem quoque nullus dubito, LEIBNITIUM aetate maturiori minime probaſſe rationem, quam reddit (*part*.2.§.2.), cur & quatenus teſtamenta ſint iuris naturalis, quippe quae magis ingenioſa, quam ſolida eſt. Haec ideo moneri non abs re eſſe duxi, ne quis LEIBNITIUM ſibi adverſarium conſtituat in iis, quae ipſe tamquam a veritate aliena, mutata ſententia reiecit, & ne quis contradictiones fingat, aut inſcitiam accuſet in illis, quae,accuratiori examine facto, ad errores vulgares retulit. Alterum, quod bene notandum, hoc eſt. In praeſenti opuſculo LEIBNITIUS multa promittit ab aliis neglecta, quae dare voluit. Exempli loco eſto Theatrum Legale, & Hiſtoria Iuris Romani Specialior, ſeu liber de Auctoribus Iuris Romani (de quibus vide §. 29.*part*.2.). In primis huc facit Catalogus Deſideratorum in Iure libello huic in fine adiectus, & ex eodem excerptus, quem proxime minuere pollicitabatur. In nullo tamen ſtetit promiſſis,

miſſis, etſi vitam ſatis longam in ſolo otio litterario confeciſſe videatur; quum enim haec ſcriberet, ad profeſſionem quamdam iuris in aliqua academia adſpirabat. Quod ſi votis, quae tunc ipſius erant, reſpondiſſet eventus, nullus amplius foret Catalogus Deſideratorum, & alia opera egregia proſtarent, quibus iuriſprudentia fuiſſet ad id perfectionis faſtigium evecta, a quo adhuc tam procul abeſt, quam illo tempore, quo Catalogus Deſideratorum condebatur. Quoniam vero longe alia fuerunt LEIBNITII fata, quam praevidere potuerat; quum unus homo omnibus non ſufficiat, deficiente tempore, ſi vel maxime non deficiant vires, a iuriſprudentia ad alia prorſus ſtudia avocatus, de iis, quae ad iuriſprudentiam perficiendam tendunt, cogitare haud quaquam potuit. Non eſt quod obiicias, LEIBNITIUM quoque maturiori aetate multa promiſiſſe, quorum nihil perfecit, veluti Scientiam Dynamicam, Scientiam Infiniti, Geometriam Situs, Commercium Epiſtolicum, Commercio Epiſtolico Anglorum opponendum, aliaque non minoris ponderis ac utilitatis. Quum enim nihil magis curae ha-

haberet, quam ſcientiarum incrementa, & ea promovendi cupidine inexſatiabili flagraret; ſi qua occaſione ferente ipſi incidebat cogitatio de iis, quibus perficiendis vires ſuas pares noverat, ea quoque perficere ſibi propoſuit. Aſt quoniam tempus non eſt res venalis; quod volunt vota, tollunt fata, nec homo ſeſe obligare ad id, quod haec reddunt impoſſibile. Ceterum etſi praeſens libellus a LEIBNITIO iuvene fuerit conſcriptus, & quamvis ipſe in nonnullis, quae rem ipſam non contingunt, mutaverit poſtea ſententiam ſuam; hoc tamen non obſtante, in illo reperient etiam ſeniores iuriſconſulti, quibus eorum conatus in perficienda iuriſprudentia iuvari poterunt, & ipſum hoc opuſculum monumentum excelſi ingenii eſt, quo inter primi ordinis eruditos eminet LEIBNITIUS. Faxit Deus, ut publica utilitas, quam ſe quaeſiviſſe in fine profitetur auctor, promoveatur! Halae, d. 24. Aprilis, an. 1748.

ME-

Digitized by Google

Digitized by Google

[G]eneralis omnium Habituum §. 1. 2. quorum

Caussa §. 8. Subiectum

Inanimatum §. 3.
Brutum §. 4. 5. 6. u
Homo §. 7. ubi de
Supernaturalis, Inf rdi §. 13.
15.
Naturalis Comm
rum §. 20.
Propria ne uno nomine
a.
§. 26.

Corporis Opus r
Facti t

e qua Logica §. 34.

ad
74. Pietatem
35.

Polemica
Co 84.
tro

Existentia ubi

Curricula
Catalogus

METHODI NOVAE DISCENDAE DOCENDAEQUE IURISPRUDENTIAE

PARS I. GENERALIS, ceteriſque facultatibus communis.

De ratione ſtudiorum in univerſum.

§. I. STUDIORUM *ratio* eſt ſpecies quaedam *rationis ſtatus*, id eſt, modus perveniendi ad ſtatum actionum perfectarum.

§. 2. *Status* autem iſte dicitur *habitus*, quem definio, agendi promtitudinem adquiſitam permanentem.

§. 3. *Subiectum habitus* eſt quidquid actionis capax eſt: nam & inanimata certis actionibus aſſuefieri poſſe conſtat. Ita chymici multis circulationibus ſpiritum vini volatiliſſimum reddunt, & multis diſtillationibus ac cohobationibus cum menſtruo, ipſa metalla ſupra alembicum itura, communi conſenſu docent; laminas etiam multis flexionibus habitum certo modo reſiliendi adquirere docuit in elementis de Corpore *Th. Hobbes*.

§. 4. *Bruta* docilia eſſe dubitare non po-

Digitized by Google

teſt, qui vel *Hier. Rorarii* libellum, vel pliniana elephantis funambuli miracula, vel elephantis caniſque panegyricos in *Lipſii* Epiſtolis legit: quae omnia credibilia fecit vienneníe nuperum choreas ducentium equorum ſpecimen.

§. 5. Quumque infantes extrinſeco rationis uſu primis annis a brutis parum differant; informatores eorum a brutorum doctoribus nonnulla non incommode mutuabuntur: habent enim peculiaria ſua artificia magiſtri equorum, canum, avium, in loquendo, canendo, venando.

§. 6. Generale autem inſtrumentum eſt eſcae, quum parent, copia, quum abnuunt, denegatio.

> *Quis expedivit Pſittaco ſuum* χαῖρε,
> *Corvos quis olim concavum ſalutare,*
> *Picaſque docuit noſtra verba conari?*
> *Magiſter artis, ingeniique largitor*
> *Venter; negatas artifex ſequi voces.*

Ita balearica gens narratur non prius cibum pueris praebuiſſe, quam propoſitum ſcopum tetigiſſent, &

> *pueris dant cruſtula blandi*
> *Doctores, elementa velint ut diſcere prima,*

Ab hoc more reſtat in nonnullis ſcholis convictum habentibus, poena ieiunii, *das cariren* (a).

§. 7. Licebit hoc artificio ad infantes uti, non vero in liberalia ingenia iam ratione utentia, quibus pro pabulo corporis obiiciendum pabulum animi, id eſt, honor. Unde ortus eſt claſſium, locationumque in ſcholis trivialibus, & promotionum in academiis mos: & olim qui egregie ſteterant, a ceterorum puerorum co-

(a) *la penitenza, che ſi dà a' fanciulli.*

corona cum laude domum deducebantur; quod exemplo Ciceronis conſtat.

§. 8. Tantum de *ſubiecto habitus*: *cauſa* vel *modus adquirendi* eſt vel ſupernaturalis *infuſio*, vel naturalis *aſſuefactio*, quae in ſentientibus, qua talia ſunt, dicitur *doctrina*.

§. 9. *Infuſio* eſt vel *divina*, vel *diabolica*. *Divinae* exempla habemus in dono linguarum apoſtolico; etſi quidam ultra illam ecſtaſin duraſſe non putent. quo ſenſu non eſſet habitus; quia non permanens. In hiſtoria eccleſiaſtica ſimile habemus exemplum de S. Ephrem Syro, qui precibus Baſilii Magni ſubitam linguae graecae cognitionem obtinuit. Noſtris temporibus *infuſionis diabolicae* in mancipia ſua exempla non deſunt, nec hodie omnis *infuſio divina* abeſſe putanda eſt; hoc enim ſine divinam ſtudiis noſtris benedictionem imploramus.

§. 10. Ab *infuſione* properamus ad *aſſuefactionem*, quae fit per actionis imprimentis *quantitatem*. *Quantitas* autem eſt vel *extenſiva*, vel *intenſiva*: *extenſiva* conſiſtit in *actionum multitudine*, intenſiva in *magnitudine*, ſeu ad habitum imprimendum *fortitudine*. Prius requiſitum etiam vulgo notum eſt, quum dicunt, habitum comparari crebris actionibus; de poſteriori ſilent.

§. 11. *Multitudinis*, ſeu *crebritatis* in *agendo* efficacia confirmatur vulgari illo,

Adde parvum parvo, magnum cumulabis acervum:

& Ovidius canit:

Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

A 2 Quo

Quo pertinet Aeſopi teſtudo aquila celerior, & Germanorum proverbium: *vver langſam gehi, komt auch nach* (a). Hinc fluxit illud generis humani artificium, rem, ſi tota oppugnetur, inſuperabilem, per partes aggrediendi: lima marmora ſcindimus, montes corbibus avehimus, ſitula lacus exhaurimus: ita in arithmeticis ingentes ſummas per partes computamus, & in geometricis campos in triangula partimur.

§. 12. Nata eſt ex hoc principio *repetendi neceſsitas*, a qua praecipue ultimum habitus requiſitum, *permanentia*, dependet: uſu enim compertum eſt, alios figuras celeriter accipere & amittere, ut tabulam ceream; alios utrumque tarde, ut aeneam: quemadmodum alii flammas iratum celeriter accipiunt & amittunt, ut ſtipula, alii utrumque tarde; ut ferrum ignitum. Hinc pythagorei negabant, quemquam ſomnum capere debere, antequam

Omnia totius repetiverit acta diei:

repetitionem enim nocet eſſe nimis dilatam in annum uſque, ut vulgo in ſcholis fit; ſed decet ſub noctem diurna ſtudia, exitu ſeptimanae ſummam dierum, exitu menſis ſummam ſeptimanarum, & fine anni ſummam menſium repetendo ſummari, & ex ſingulis gradibus notatu digniſſima ruminari. quod neſcio, an hactenus obſervatum ſit a quoquam.

§. 13. Ex eodem fonte inſignis didacticus *Wilhelmus Schickardus* mirabile hebraicam linguam docendi derivavit artificium, quod in Horologio ſuo ipſe exponit: ſcilicet 12. pueros ſimul inſtituit, in hos grammaticam ſic parti-

tus

(a) *chi va adagio, fa buon cammino:*

tus eſt, ut alii regulas nominis, alii pronominis, &c. alii partem hanc, alii aliam ſyntaxeos tribueret. Lexicon etiam ſuum breve in eos diſtribuit, alii א, alii ב, alii ג, &c. aſſignando. Ita factum eſt, ut, uno recitante aut reſpondente, ceteri attendentes, portionem eius tandem ludendo diſcerent. Et hac ratione hodieque in ſcholis deceret non pluribus idem aſſignari, ſed lectionem in ſingulos diſtribui, qui ſimul iuncti egregiam tandem harmoniam conſtituent.

§. 14. Et tantum de *multitudine actionum*. Sequitur earum *intenſio* ſeu *magnitudo*: nam ſaepe una actio, ſingulari quadam vi imprimendi facta, plus efficit multis repetitionibus; v. g. facti alicuius ſingularis, ioci inexſpectati, actionis cum ſingulari noſtra fortuna coniunctae, v. g. quae laudem vel pudorem nobis peperit, facile meminimus. Ex hoc principio infra (§. 23.), ubi de *mnemonica*, oſtendemus notas, quo ſenſibiliores ſunt, hoc plus ad memoriam efficere.

§. 15. Conſultiſſimum autem eſt, *multitudinem*, *magnitudinemque temperare*: quod fit egregie, ſi, a minimis incipiendo, continue per gradus ad ſumma creſcat actio: quod & chymici circa regimen ignis in aſſuefactione inanimatorum iubent. Milo crotoniata memoratur tali artificio ſibi robur comparaſſe: vitulum quolibet die ſemel ad certum uſque locum portabat; ita, creſcente vituli pondere, creſcebat inſenſibiliter quoque robur Milonis, donec ad extremum grandem taurum in olympicis ludis, ſpectante tota Graecia, geſtavit. Eadem ratione poſſit & ars bibendi diſci, ſi menſura ſingulis ſeptimanis per vitra augeatur. Ita conjecit Gal-

 lus

Jus ille, qui quum in Acidulis Sualbacenſibus cerneret Germanos aquae bibendae magis magisque continua auctione aſſueſcere; credidit hunc eſſe ludum potatorium, *eine Sauf-ſchule* (*a*), ubi Germani in aqua diſcant, quod in vino ſint praeſtituri. Infantes quoque a litteris per ſyllabas ad voces tandem legendas veniunt; & in arithmeticis quanto magis numeri ſiniſtrorſum recedunt, tanto magis in decupla ratione creſcunt. De gradibus repetitionis vide, quae (§.13.) diximus. Idem in oratione aliqua verbotenus ediſcenda commodiſſimum, si primo recitetur primum comma, deinde primum & ſecundum, denique primum ſecundum & tertium &c. quod & in nonnullis mulicrcularum ludicris uſitatum eſt: qua ratione mirum, quam facile totum memoriae imprimatur. Ignoſcat mihi ſeverus lector, quod harum nugarum exemplo utar, quando conſtat, nos in nugis, quam ſeriis docendis, ingenioſiores eſſe.

§ 16. Et haec de *aſſuefactione*, ſeu cauſſa habitus etiam ſenſu carentibus communi: veniendum eſt ad *doctrinam. Docere* enim eſt habitum efficere in ſentiente, qua tale eſt, ſeu per ſenſum. Unde tota haec ars dicitur *didactica*; nam & qui ſponte diſcunt, ſe docent, hinc iis *αὐτοδιδάκτων* nomen (*b*).

§. 17 Quemadmodum autem medicina ſe habet ad animalis corpus, ita *doctrina* ad animam: quumque medici ſit curare 1) tuto, 2) cito, 3) iucunde; conſequens eſt, idem & in cura animae requiri, nempe ut doceatur 1) *ſolide*, 2) *cito*, 3) *iucunde*. ex quibus primum facit ad eſſe, reliqua ad bene eſſe; primum ad ipſum ha-

(a) *una ſcuola da bere.* (b) *a ſeipſis doctorum.*

habitum, reliqua ad modum commode introducendi. Primum autem duo continet, tum ut *vera* doceantur, tum etiam ut *firmiter* implantentur, ne cito elabantur; nam & medicis recidiva cavenda eſt.

§. 18. Et illud quidem, ut *bona* doceantur, pertinet ad *obiectum habitus*, de quo infra dicemus; ut vero *firmiter* implantentur, efficit *actionum multitudo*; ut *cito*, efficit *magnitudo*: quae ſunt cauſſae habitus inanimatis communes, de quibus (§. 10. *ſeqq.*) ſatis dictum eſt.

§. 19. Ultimus vero ſcopus, ut *iucunde* doceatur, proprie huius loci eſt, qui in animalia tantum cadit: in animalibus enim ſingularis quaedam ratio eſt ipſa ita aſſuefaciendi, ut ſponte ſeſe ad doctrinam recipiendam capaciora reddant; quod fit voluptatem iis praeſtando, quum diſcunt, dolorem, quum aures obturant. Idque in brutis fit eſca & blanditiis, in homine utilitate tamquam eſca, & honore tamquam blandimento: de quo iam praeoccupavimus dicere (§. 6. 7.).

§. 20. *Iucunde* autem diſcunt, tum ſi *finis* iucundus ipſis proponatur, tum ſi *media* diſcendi ſint iucunda. De *fine* (§. 19.) dictum eſt. *Media* diſcendi iucunda ſunt, ſi ludendo docentur: quo mirifice faciunt comoediae & fabulae. Hoc fine confectae ſunt chartulae luſoriae, geographicae, aſtronomicae, hiſtoricae, chiromanteticae, &c., & ſſerae alphabetum continentes, quarum meminit *Hieronymus* ad *Paullinam*: item ſales, epigrammata, picturae, carmina, memorialia. Quo pertinet *ethica picta*, egregia, principi iuventutis altenburgico, quem fata

terris tantum oſtenderunt, deſtinata, Emblemata *Alciati*, *Saavedraeque* Politica, & *Hutteni* theologica in Schola Cordis, & ludus ille artificioſiſſimus, cuius meminit *Fr. Chriſt. Roſencreuz* in Nuptiis, ubi ad modum ludi latrunculorum virtutes in albo, vitiaque in nigro habitu, mira in ſe invicem arte pugnabant.

§. 21. Diximus primum de cauſſa habitus, inanimis, brutis, & hominibus communi, nempe *aſſuefactione* (a §. 10. ad §. 15. utrimque incluſive), deinde de cauſſa habitus brutis & hominibus tantum communi, *doctrina* (a §.16. huc uſque); reſtat, ut dicamus de cauſſa habitus hominibus propria, *inſtitutione*.

§. 22. Habitus hominibus proprii ſunt vel *memoriae*, vel *inventionis*, vel *iudicii*; unde & *didactica* iſtorum habituum triplex, *mnemonica*, *topica*, *analytica*: poſſumus enim propoſitiones (quippe quae ſoli homini propriae ſunt) memorare, facere, iudicare. *Topica* autem & *analytica* una *logicae* voce comprehenduntur. Ex quo patet *logicam*, & *mnemonicam didacticae* partes eſſe; quibus denique *methodologia* non immerito additur. *mnemonica* praeſtat materiam, *methodologia* formam, *logica* applicationem materiae ad formam.

§. 23. *Mnemonicae* fundamentum eſt res aliqua ſenſibilis, quae dicitur *nota*, cum re memoranda certa relatione iuncta: quae eſt vel comparatio, ſimilitudo nempe & diſſimilitudo; vel connexio, qualis eſt totius & partis, partis & compartis, cauſſae & effectus, ſigni & ſignati, unde *verba* inventa ſunt; alioqui fuiſſet hominibus difficillimum rerum meminiſſe: verba enim non tantum ſigna ſunt cogitationis

meae

meae praeſentis ad alios, ſed & notae cogitationis meae praeteritae ad me ipſum, ut demonſtravit *Th. Hobbes* principio elementorum de Corpore. Ex *notis* autem illae maximae mnemonicae ſunt, quae ſenſibiliſſimae, ut ſic dicam (adde §. 14.); uti verba, quae non audiuntur tantum, ſed & cum voluptate, v. g. carmina, termini, ut vulgo vocant, *clappantes*, quales coniunguntur, non ſine magna diſcentium puerorum commoditate, in nonnullis vocabulariis; item alluſiones, quo artificio *Schickardus* in Horologio hebraico ad imprimendas diſcentibus radices uſus eſt: & mirum eſt, quantum tota harmonia linguarum, & vocum congruitas hanc rem iuvet. Non tantum autem notae auditus, ſed & multo magis notae viſus ad memoriam pertinent. Huc pertinent hieroglyphica veterum Aegyptiorum, & hodiernorum Sinenſium, de quibus multa *Kircheri* Oedipus; item diſpoſitiones rerum per cellulas in obvia conclavis parte, & reliquae in certa loca diſtributiones, de quibus auctores mnemonici conſuluntur, in primis *Ioh. Henr. Alſtedius* in Theſauro Mnemonico, & *Ianus Caecilius Frey* in Via ad Scientias & Artes; adданturque VVinckelmannianae Hiſtoriarum Adumbrationes per Picturas, non utique ſpernendae.

§. 24. *Topicae* ſeu *artis inventivae* fundamentum ſunt loci, id eſt, relationes tranſcendentes, ut totum, cauſa, materia, ſimile, &c. Et ex rebus tali aliqua relatione nexis fiunt propoſitiones per artem combinatoriam, ut fuſe diximus in noſtra de Arte Combinatoria differtatione: nec contemnenda ſunt, quae in hanc rem contulere *Raym. Lullius* in Operibus Variis; & *Ioh. Henr. Biſterfeldius* in Epitome Artis Meditandi.

§. 25.

§. 25. *Analytica* ſeu *ars indicandi* mihi quidem videtur duabus fere regulis tota abſolvi: 1) *ut nulla vox admittatur*, *niſi explicata*: 2) *ut nulla propoſitio*, *niſi probata*. Quas arbitror longe abſolutiores eſſe, quam quatuor illas carteſianas in Prima Philoſophia, quarum primaria eſt: *quidquid clare diſtincteque percipio*, *illud eſt verum*: quae infinitis modis fallit.

§. 26. *Methodologia* ſeu *ars diſponendi* verſatur circa *methodum*. *Methodus* autem eſt vel *naturalis*, cuius haec eſt regula: *quidquid ſine altero cognoſci poteſt*, *non vero alterum ſine ipſo*, *illud alteri praeponi debet*: vel *occaſionalis*, cuius nulla generalis regula tradi poteſt; ſed variat infinitis modis. Qua de re plura diſſerunt *Iacobus Acontius* in libello de Methodo, & epiſtola Stratagematis Satanae addita, & *Ioh. Neldelius*, *&* *Abrahamus Calovius*.

§. 27. Et hactenus de *cauſſis* habitus tam generaliſſimis, *actionum multitudine* & *magnitudine*, & generali, *iucunditate*; quam ſpecialibus, *arte mnemonica*, *topica*, *analytica*, *methodologia*. Sequitur habitus *obiectum*, ſeu ipſa actio, cuius eſt habitus.

§. 28. Cuius ratione habitus eſt vel *corporis*, vel *animi*. Habitus corporis vel ſunt circa *actionem relinquentem*, ἀποτέλεσμα (a), vel ſunt *facti tranſeuntis*. Artes *opus relinquentes* vel naturam promovent, applicando agens & patiens; & deinde ceſſando; uti agricultura, horticultura, ars paſtoritia, antiquiſſimae artium, ars item medica, chymica, veterinaria: vel ſuum ſolae peragunt, totumque opus exſequuntur, ut omnes illae, quae res tamdiu *iungunt*, *ſeparant*,

vel

(a) *effectionem*,

vel *transformant*, donec prodeat certa ipſis optata figura. In *coniunctione* conſiſtit v. g. ars pictoria, in *ſeparatione* ſtatuaria, in *transformatione* omnes, quae rebus primum liquidis, deinde conſiſtentibus certam formam imprimunt; ut metalli vel vitri fuſoria, piſtoria, typochyſia: ut nunc non perſequar infinitas pro obiectorum varietate ex his artibus mixtas, quas fuſius explicuit *cl. Erhardus Weigelius* in Analyſi Euclidea. Interea certum eſt, omnes in applicatione agentis naturalis, vel *coniunctione*, vel *ſeparatione*, vel *transformatione* rerum, vel his inter ſe mixtis, conſiſtere.

§. 29. Artes *facti tranſeuntis*, ſeu opus non relinquentes, dicuntur vulgo *exercitia*; & conſiſtunt vel in *promotione alterius*, vel ſimpliciter in *motione mei*. In *promotione* conſiſtit ars navigandi, currum agitandi, equitandi, chartas pictas artificioſe miſcendi, teſſeras ita iactandi, ut, quod velis, cadat, ars iaculandi, parvae pilae vel maioris, ludus conorum, ludus tabulae betulinae, &c. *Motio* ſimpliciter eſt vel *totius corporis*; vel *partis tantum*. *Totius corporis*, ut in arte ſaltatoria, ſaliendi, currendi, funambularia; & ſi haec quoque addi poſſe videtur, ars volandi, cui proportione reſpondet ars natandi. *Partis certae motio* pro partium variatione varia eſt, ut in oculis ars flendi quum velis; in lingua ars diſtincte eleganterque loquendi vel canendi, ars item diſcernendi ſapores vinorum aliarumque rerum; in gutture ars bibendi; & in ſtomacho (etſi alioqui viſcerum internorum non datur ars) nonnullorum promtitudo hauſta, quum velint, reeffundendi: ita in labiis, ut alter ex eorum formatione,

ve-

velut ſermone, me intelligat, de quo *Helmontius Iunior* in edita nuper diſſertatione de Alphabeto Naturae. Taceo de nonnullorum artibus digitos, articuloſque, aut alia membra ſingulari, aliis inconſueta, ratione flectendi; item de arte praeſtigiatoria, *von der gauckel-taſche* (*a*), quo pertinet & crumeniſecarum celeritas. Ex eodem fonte eſt ars muſica organica, quae vel immediate digitis aut pedibus, vel plectro aliquo mediante fit. Denique omnium inter ſe & cum re praeſenti membrorum harmonia comparatur arte geſtuum, de qua praeclare ſcripſit *Scipio Claromontius*: quo pertinet ars hiſtrionica, quae etſi olim contemta, hodie tamen etiam apud magnos viros non immerito in pretio habetur.

§. 30. Et hi ſunt *habitus corporis*, etſi inter eos magnum diſcrimen obſervari debeat. Quamquam enim mediante corpore, omnes exercentur; nonnulli tamen habitus in ipſo corpore, ut ita dicam, ita ſiti ſunt, ut etſi animus omnes regulas pernoverit, artem tamen exercere non poſſit, niſi accedente corporis aſſuefactione: v. g. in ludo pilae, in ſaltando, in arte muſica tam vocali quam organica, &c. Et hi *proprie* ſunt *habitus corporis*. *Habitus* vero alii *proprie* ſunt *in animo*, & corpus tantum dictanti animo paret, nec ipſum quidquam artis contribuit; ut in artibus pleriſque ἀποτέλεσμα (*b*) relinquentibus, & in ludo latrunculorum vel aggerario, aliiſque in ingenio ſitis, & in poteſtate artificis exiſtentibus.

§. 31. *Habitus animi* nunc ſequuntur. Omnis autem actio animi eſt cogitatio; nam & velle nihil aliud eſt, quam cogitare rei bonitatem;

(a) *de' giuochetti di mano*, (b) *effectum*.

tatem. Omnis porró cogitatio eſt alicuius propoſitionis: meri enim termini ſimplices, h. e. *facultates inferiores*, tantum apud bruta reperiuntur; hominis imaginatio numquam eſt ſine aliqua reflexione.

§. 32. Propoſitio omnis eſt vel ſingularis; hinc *hiſtoria*; v. g. magnes in Mecha Arabiae ſurſum trahit loculum ferreum Mahumedis (fingamus enim exempli gratia hoc ita eſſe): vel univerſalis contingens ex inductione ſingularium pendens, hinc *obſervatio*; v. g. magnes trahit ferrum: vel univerſalis neceſſaria ex ipſis terminis demonſtrabilis, hinc *ſcientia*; v. g. quidquid movetur, ab alio movetur; vel, ſi magnes trahit ferrum, neceſſe eſt corporea effluvia ex magnete in ferrum ire.

§. 33. *Hiſtoria* igitur eſt mater obſervationum, de cuius natura, conſtitutione, partitione egregie *Fr. Baconius de Verulamio* in tractatu incomparabili de Augmentis Scientiarum, nec minus praeclare in Novo ſuo Scientiarum Organo. Quia vero in eadem materia dantur *hiſtoriae*; *obſervationes*, & *theoremata*, ex quibus ſcientia conflatur; v. g. *hiſtoria*, Fabii Maximi, qui ſub Caeſare Auguſto vixit, uxor fuit garrula; *obſervatio* ſeu *chria*, mulieres ſunt garrulae; *theorema* ſeu *gnome*, garrulo nihil arcani committendum: ideo iam propoſitiones in univerſum, non ratione copulae & ſigni (ut §. 31.), ſed ratione terminorum partiemur.

§. 34. *Termini* porro aut ſunt *ſimplices*, aut *compoſiti*. *Simplices* ſunt, qui ſunt indeclarabiles per terminos notiores; quia immediate ſenſui obiiciuntur, ipſae nempe *qualitates ſenſibiles*. Quidquid autem habet qualitates ſenſibiles, ſeu

quid-

quidquid eſt ſenſibile; h. e. *quidquid aut mente tantum, aut mediantibus organis corporeis percipitur* (ut infra § 34.), illud dicitur *ens*. Et haec eſt perfectiſſima *entis* definitio: quoties enim probare volumus aliquid eſſe, probamus ex eo, quia nos, vel alii ſenſerint aut ipſummet ſenſione immediata, aut ſaltem aliud, quod ſine ipſo eſſe non poteſt, quae eſt ſenſio mediata. Et qualitates ſimul ſumtae, ſeu imaginabilitas, conſtituunt *eſſentiam*, ſenſibilitas *exſiſtentiam*: ex cogitatione autem plurium entium ſimul oriuntur *relationes*, ſeu *affectiones entis*; nam ex coimaginabilitate, ſeu coeſſentia oritur *comparatio*, huc idem, diverſum, ſimile, diſſimile, contrarium, genus, ſpecies, univerſale, ſingulare; ex conſenſibilitate, ſeu coexſiſtentia oritur *connexio*, huc totum, pars, ordo, unum, plura, neceſſarium, contingens, connexum, cauſſa, &c. Hinc fluit metaphyſica univerſa.

§. 35. *Qualitates* porro *ſenſibiles* in ſpecie; aliae *mente* tantum percipiuntur; aliae & *phantaſia*, ſeu mediantibus organis corporeis. *Mente* percipiuntur duae tantum qualitates ſenſibiles, 1) *cogitatio*, 2) *cauſſalitas*. *Cogitatio* eſt qualitas ſenſibilis intellectus humani, ſeu neſcio cuius rei in nobis, quam animadvertimus, cogitare: etſi, quid ſit hoc ipſum cogitare, explicare non magis poſſimus, quam quid ſit albedo, aut quid ſit extenſio (a). hanc cogitationem etiam Deo & angelis ineſſe, demonſtratione colligitur. Circa hanc igitur qualitatem ſenſibilem, quae dicitur cogitatio, verſatur logica poſt metaphyſicam nobiliſſima ſcientiarum ab *Ariſtotele* ad mathematicorum formam demonſtrative tradita. §. 36.

(a) *Emenda, ut in praefatione Wolfii*,

§. 36. Altera *qualitas ſola mente ſenſibilis* eſt *cauſſalitas*, quando ex effectu per demonſtrationem colligitur, eſſe aliquam eius cauſſam, etſi latentem. Et haec qualitas, praeciſis aliis qualitatibus, v. g. motu, figura, &c. ineſt cauſſae mundi, ſeu Deo; tum cauſſis mirabilium quorumdam factorum in mundo, ſeu angelis; & denique animo noſtro, tamquam cauſſae motus corporis, etſi modum cauſſandi explicare non poſſumus (*a*). Et haec eſt doctrina *pneumatica*, quae agit de entium incorporeorum actionibus ad extra, quemadmodum logica agit de eorum actione ad intra ſeu cogitatione: quo pertinet & philoſophia practica, ſeu doctrina de iucundo & utili & iuſto; ſeu eo quod communiter utile eſt. Huius loci eſt demonſtratio exſiſtentiae Dei, & attributorum eius, angelorum item, & mentis incorporeae in nobis, ſeu immortalitatis animae. In quibus rebus propriis meditationibus mirabili ratione ad mathematicam certitudinem pervenimus: quod nos longe maioris aeſtimamus ad tranquillitatem mentis, & fiduciam aeternitatis, quam ſi vel perennem motum, vel quadraturam circuli inveniſſemus.

§. 37. *Qualitates organis corporeis ſenſibiles* ſunt vel *communes pluribus organis*, nempe numerus, qui omnibus ſenſibus externis percipitur, huc arithmetica; & extenſio eiuſque varii modi, quae viſu ſolum & tactu percipitur, hinc geometria: porro quidquid, praeter extenſionem & numerum, aliam adhuc qualitatem ſenſibilem habet, id dicitur *corpus*; quidquid non habet, dicitur *vacuum*: hinc iam oritur phyſica. ſenſus autem ſimpliciſſimus eſt tactus, quo percipitur *motus*: quae explicare, eſt generalis phy-

(a) *Emenda, ut in praefatione Wolfii.*

phyſicae; quia, ut deinde demonſtrandum eſt, in ceteris qualitatibus nihil aliud eſt, quam ſubtilis motus, per quem, aſſumta extenſione, ceterae omnes explicari poſſunt. Vel ſunt *qualitates tactus ſpeciales*, ſoliditas, fluiditas, tenacitas, glabricies, &c. quarum, ut & lucis, colorumque, tum ſonorum, odorum, ſaporum hiſtoria diligentiſſime colligenda eſt, ut tanto facilius cauſſa per materiam & motum reddi poſſit.

§. 38. *Philoſophiam abſtractam* de *qualitatibus* ſequitur *concreta* de *rebus*, in quas hae qualitates coierunt: in qua nihil aliud ſit, quam quod hiſtorice rerum qualitates recenſentur, & nihil denuo demonſtratur, ſed ſubſumtio tantum fit ex praedemonſtratis in philoſophia abſtracta. Hic agitur de Deo, angelis, mente noſtra, igne, vaporibus, meteoris, aqua & ſpeciebus liquorum variis, terra & ſpeciebus variis terrae ſeu mineralibus, plantis, denique animalibus. Hic igitur non qualitatum connexio inter ſe & cum ſubiectis, ſed ſubiectorum connexio cum qualitatibus recenſetur. Poteſt haec philoſophiae pars dici *εἰδογραφία* (a), quemadmodum praecedens *ποιογραφία* (b).

§. 39. Concludat denique *coſmographia*, in qua exponitur ſubiectorum connexio inter ſe, quomodo re vera in mundo diſpoſita ſunt: hiſtoria motuum caeleſtium ſphaerica & theorica, aſtrognoſia, obſervationesque recentiorum, breviter hiſtoria mundi univerſi, rerumque inde uſque a creatione eius memorabilium. quo pertinet chronologia, hiſtoria univerſalis, & certarum regionum, nationum, ſtatuum, generum vitae &c. Hac mea diſciplinarum partitione certus

(a) *ſpecierum deſcriptio.* (b) *qualitatum deſcriptio.*

tus ſum omnia exhauſiſſe, ipſaque ſcientiarum elementa breviter, ſed ſolide adumbraſſe.

§. 40. Poſtquam (a §. 27. huc uſque) de *diſcibilibus* diximus, excerpamus iam ex iis *diſcenda*, *modumque ſtudiorum* ſummatim delineemus. Primum quod infanti diſcendum, eſt *lingua*. Hic detur opera, ut eadem celeritate per uſum latinam, qua patriam imbibat; etſi opus non ſit in nominibus ſimplicium, v. g. ſtirpium, animalium, &c. latinis nimis diſtineri; raro enim occurrunt. Hoc fiet, ſi certa diei parte, v. g. mane ſit inter paedagogum & condiſcipulos latine, a meridie inter ancillas & coniugem vernacule loquentes. Hac arte Albericus Gentilis filium ſuum infantem tres linguas ſimul docuit: ipſe cum eo loquebatur latine, coniux gallice, domeſtici anglice, quae ipſi vernacula erat lingua. Alterum hoc tempore ſtudium ſit *geſtuum*. Veniat igitur quotidie inter homines moratos cultosque; ita facile ſpectando proficiet. Tertium ſit *hiſtoriae*, tum univerſalis, tum in ſpecie ſacrae, & ſtatus mundi praeſentis.

§. 41. Quum vero ſextum annum attigerit, mittatur in ludum publicum; quae res converſationem & tandem amicitias per vitam duraturas praebet: vivat parum apud parentes, ut diſcat ad propriam prudentiam refugere: aſſueſcat exercitiis, arti muſicae, ſaltatrici, gladiatoriae, iaculatoriae, pictoriae, aliiſque in vita neceſſariis vel decoris, in primis vero elegantiae verborum: accedat vero & hiſtoriarum veterum ſpecialior cognitio, & diligentiſſima matheſeos cura, arithmeticae ſcilicet, & geometriae, & opticae, & ſtaticae, & aſtronomiae: addantur ex phyſica nomina tantum herbarum, minera-

 lium.

lium, arborum, animalium, inſtrumentorum mechanicorum; quo pertinet *Comenii* Orbis Senſualium Pictus, ſed diligentius pingendus, & coloribus convenientibus illuſtrandus: addatur exercitium ſtili, non litteris tantum, ſed & ſermone & quidem extemporaneo: oſtendantur ei loci diſcurrendi, memorandi, inveniendi per artem combinatoriam.

§. 42. A duodecimo ad decimum octavum liberalius tractetur, praeceptoribus non ſubſit, ſed amicis: monſtrentur ei naturae artiſque arcana maiora, fundamenta artium mechanicarum; ut ex iis ſaltem materiam, inſtrumenta, regulas principales, & pretia ſciat; item rationem commerciorum per orbem, ut dignoſcat inter merces, ſciat pretia, loca unde veniunt: iam diſcat medicinae rudimenta, anatomiam, vires ſimplicium, rationes praeparandi pharmacopoeorum, & chymicorum; optandum enim quemlibet hominum eſſe aliquatenus medicum, immo iuriſconſultum & theologum, ſcilicet ut elementa, & theologiam ſaltem iuriſprudentiamque poſitivam, peinoſcat: igitur ſciat ſtatuta ſuae reipublicae & leges regni, ſed & aliquo modo aliorum, ut poſſit tanto melius peregrinari: diſcat linguas gallicam & italicam, utque Scripturam ipſam audire poſſit hebraicae graecaeque tantum, ut intelligere ipſi vetus novumque Teſtamentum liceat: declamet publice & in comoedias prodeat; nam, ut recte *H. Grotius*, rhetorica, aliarum artium coronis, nonniſi hauſtis pleriſque diſciplinis accedit: ſit autem exercitium hoc non in latina ſolum, ſed & vernacula; ſed primario exerceatur in ea profeſſione, in qua ſuas aliquando dotes explicaturus eſt: habeat

quo-

quoque & librorum cognitionem, quae mirum quantum & ornamenti & utilitatis praeſtet: vivat hoc tempore non in ſchola, ſed academia vel aula & alioqui loco celebri, in quo in magnorum virorum notitiam familiaritatemque venire liceat, quod eſt fundamentum hodie promotionis; neque enim amplius facile quiſquam ex academiis ad officia vocatur. Olim mos erat ſcribere ad Univerſitatem, & egregii alicuius iuvenis denominationem ab ea petere; hodie aliis artibus emergendum. unde non decet, academias eſſe in locis minutis & obſcuris.

§. 43. Tempus omne vero a decimo octavo anno, vel, ſi tardius ingenium ſit, viceſimo uſque ad promotionem, peregrinationi tribuatur, in qua curet valetudinem, quo pertinet medici auguſtani, cuius nomen non ſuccurrit, elegans tractatus de Medicina Peregrinantium: obſervet notetque commoditates in cibo, potu, aedificiis, veſtibus, agricultura, mechanicis, quas apud aliquem populum invenit: obſervet & leges & conſuetudines ſingulares: ambiat notitiam magnorum virorum, quae peregrinis magis quam domeſticis patet, in primis ſecretariorum & miniſtrorum ſtatus: ſi quas etiam memorabiles hiſtorias, ſi qua ſingularia naturae & artis audit, diligenter notet. Ita obtinebitur finis peregrinationum, ut a regione ad regionem non ſolum mercimonia, ſed & artes deportentur: in primis vero, ſi regio aliqua in certis manufacturis excellit, det operam, ut artes eorum expiſcetur. Plura non eſt huius loci dicere: ſummi viri praeoccuparunt. Haec ſunt, quae de *ratione ſtudiorum* in univerſum ex veteribus noſtris dudumque conceptis meditationibus, in-

ter diverſoria, ſine libris, in chartam coniicere deproperavimus; unde nec licuit multarum allegationum pompa margines ſtipare. Si non pervulgata nec inutilia attulimus, & exſcriptorum & novatorum crimen effugiemus.

METHO-

METHODI NOVAE DISCENDAE DOCENDAEQUE IURISPRUDENTIAE

PARS II. SPECIALIS,

ad ſolam iuriſprudentiam reſtricta.

§. 1. IUriſprudentia eſt ſcientia iuris, propoſito aliquo caſu ſeu facto: cuius tradendae methodum quum moliamur, neceſſe eſt ut duo agamus: 1) in idea delineemus *iuriſconſultum perfectum*, & quidquid ad eius conſummationem pertinet; quemadmodum *Cicero* fecit in libris de Oratore: 2) *vias* deſignemus *ad perfectionem graſſandi*, aut ſicubi placeret, in ſecundis tertiiſque conſiſtendi; quemadmodum *Plato* in libris de Republica ideam, in Dialogis vero de Legibus quod aſſequi cuique liceret, expoſuit.

§. 2. Quidquid ad *iuriſconſulti perfecti* eruditionem pertinet dividi poteſt ad inſtar theologiae in partem *didacticam* ſeu *poſitivam*, ea continentem quae in libris authenticis expreſſe exſtant, & certi iuris ſunt; *hiſtoricam*, originem, auctores, mutationes, abrogationeſque legum enarrantem; *exegeticam*, ipſos libros authenticos interpretantem & denique apicem ceterarum; *polemicam* ſeu *controverſiariam*, caſus in legibus

 inde-

indeciſos ex ratione & ſimilitudine definientem.

§. 3. Ex his *didactica* & *polemica* propriè ſunt partes iuriſprudentiae, *hiſtorica* vero & *exegetica* ſunt requiſita tantum; haec *theorica*, illa *practica*: iuriſconſultus enim, qua talis, ſatis habet, ſi ſciat quid in propoſito caſu ſit iuris, quod poteſt etiam mere pragmaticus aſſequi, immo qui ne latina quidem novit, ſed difficulter immo inutiliter: nam ſi quis negare audeat, non poterit ex hiſtoria legibusque demonſtrare; ideo *empirici* magis nomen merebitur, quam eius qui veram in iure philoſophiam ſit aſſecutus.

§. 4. Merito autem partitionis noſtrae exemplum a theologia ad iuriſprudentiam tranſtulimus, quia mira eſt utriuſque facultatis ſimilitudo: utraque enim duplex principium habet, partim rationem, hinc theologia iuriſprudentiaque naturalis, quarum illam *Raymundus de Sabunde* & *Theophilus Raynaudus*, hanc vero *Grotius*, *Hobbes*, ceterique excoluere, quorum infra (§. 70.) mentio fiet; partim ſcripturam ſeu librum quemdam authenticum leges poſitivas, illic divinas, hic humanas, continentem. Male vero nonnulli huic comparationi medicinam quoque, philoſophiam, ac matheſin miſcuere: nam Hippocrates, Galenus, & Ariſtoteles erroris ſaepe convicti ſunt; Euclidi non creditur quia dicit, ſed quia probat, quod ſecus eſt in legibus divinis, humaniſque (*a*).

§. 5. Nec mirum eſt, quod in iuriſprudentia, idem & in theologia uſu venire; quia theologia ſpecies quaedam eſt iuriſprudentiae univerſim ſumtae: agit enim de iure & legibus obtinentibus in republica, aut potius regno Dei ſuper homines, moralis de iure privato, reli-

(a) *Emenda, ut in praef. Wolfii.*

qua

qua de iure publico: nam, ut noſtrammet de Arte Combinatoria commentationem (*p.* 29.) aliquantiſper exſcribamus, infideles quaſi rebelles ſunt, eccleſia velut ſubditi fideles, perſonae eccleſiaſticae immo & magiſtratus politicus, velut miniſtri & magiſtratus ſubordinati, excommunicatio velut bannus, doctrina de Scriptura ſacra & verbo Dei, velut de legibus & earum interpretatione, de canone librorum ſacrorum, velut de legum authentia, de erroribus fundamentalibus, quaſi de delictis capitalibus, de iudicio extremo, & noviſſima die, & valitura illic ſatisfactione Chriſti, velut de proceſſu iudiciario, & termino, & ſolutione pro alio, de remiſſione peccatorum, velut de iure aggratiandi, de damnatione aeterna, velut de poena capitali, aut, quae morti aequiparatur, perpetui carceris. Breviter, tota fere theologia magnam partem ex iuriſprudentia pendet. Quoties teſtamenti, quoties hereditatis, quoties ſervitutis, quoties adoptionis apud D. Paullum mentio eſt? In explicatione teſtamenti magna pars controverſiae de cena inter auguſtanae confeſſionis, ac reformatos theologos conſumitur. *Fauſtus* profecto *Socinus*, quia a iuriſprudentia ad theologiam venit, mirum quantum ceteris omnibus faceſſiverit negotii; unde non potuit melius refutari, quam ab eo viro, qui iuriſprudentiam ſimul ac theologiam perrepſerat, incomparabili illo *Hugone Grotio* in libro de Satisfactione Chriſti. *Socini* vero diſcipuli quae latibula ſub iuridica acceptilationis voce quaerant, recenſuit cl. *Zimmermannus* peculiari diſſertatione. Utrum & quatenus in rebus fidei obtineat praeſcriptio, nuper nobile par *Fratrum Walenburgiorum* diſſeruit; alior-

 [illegible] ſum

ſum iverat cl. *Hulſemannus*, auguſtanae confeſſionis theologus, peculiari itidem tractatu de praeſcriptione. Breviter, tanta in theologia iuridicarum controverſiarum ſeges eſt, ut inter ἀνέκδοτα (a) egregii *Dorſchei* poſtumum opus iuriſprudentiae theologicae titulo reſtet.

§. 6. *Iuriſprudentia didactica*, *elementorum* nomine non inepte appellabitur ad imitationem Elementorum *Euclidis*, quem in titulis ſuorum librorum *Th. Hobbes* Elementis de Cive & Corpore, ac *Ioh. a Felde*, & *Sam. Puſendorf* Elementis Iuriſprudentiae ſecuti ſunt. *Elementa* duobus abſolvuntur, explicatione terminorum ſeu *definitionibus*, quibus reſpondet titulus de Verborum Significatione; & propoſitionibus ſeu *praeceptis*, quo pertinet titulus de Regulis Iuris.

§. 7. *Definitiones* ſeu explicationes terminorum iuridicorum peculiari libello tradendae ſunt, nullis admixtis praeceptis ſeu regulis: hic poſſit appellari Partitiones Iuris. *Methodus* eius non ſit alphabetica, ſed accurata & ſolida; mirum enim, quam in methodo ſolida, & naturali res rem explicet, & memoria iuvetur: quam in rem commodiſſimae ſunt tabellae, quarum ope licet uno obtutu primum in generali tabula totam ſcientiae velut geographicam mappam, deinde vero ſpeciatim ſingulas quaſi provincias luſtrare. Hae veteribus incognitae a *Petro Ramo* eiuſque diſcipulis primum celebratae ſunt: magnam quoque in illis diligentiam poſuit *Theodorus Zvvingerus* in ethicis politiciſque, & in iure *Ioh. Th. Freigius*: hos innumerabilium aliorum caterva ſecuta eſt, ſed vix aſſecuta, quod optamus, methodum, inquam, naturalem: nam, ut recte *Petro Ramo* ramiſtiſque

(a) *non edita*.

que obiecit incomparabilis *Verulamius*, effecere illi anxietate dichotomiarum, ut rem coagulaſtarent magis, quam comprehenderent; quae interea velut anguilla elabebatur, aut pro grano proprietatum inutiles diviſionum paleas relinquebat.

§.8. Quum vero docendae iurisprudentiae *methodus* comprehendat & *methodum diſponendae*; videamus quas varii vias iniverint: iuris enim in artem redigendi vetus admodum cura eſt, quam & *Cicero*, olim *Gellio* teſte, agitavit: deinde in eamdem curam incubuere iurisconſulti veteres; neque enim tantum confuſos quaeſtionum & reſponſionum libros, ſed & Digeſta vel ipſo nominis indicio ordinata, & Inſtitutiones confecere. Sed quia eorum ſcripta & mutilata & diſcerpta ſunt, licet tantum ex inſcriptionibus legum iuſtinianearum nonnulla divinare. *Tribonianus* aliam in Inſtitutis, aliam in Digeſtis & Codice methodum tenuit: illic enim tria iuris obiecta conſtituit, *perſonas, res, & actiones*, ut *perſonarum* capite explicuit poteſtatem patriam, dominicam, nuptias, tutelam, curam, omnem nempe poteſtatem in ipſas immediate perſonas ſine rerum interventu. Alterum caput eſt quoties *res* interveniunt: & vel principaliter, ut non certa perſona proprie teneatur, ſed certa res, ubicumque inveniri poſſit, quod eſt *ius in re*; aut inter vivos, hinc dominium, ſervitus, uſusfructus, uſus, habitatio; aut ex ſucceſſione, hic hereditas ab inteſtato vel ex teſtamento, legatum, fideicommiſſum, &c.: vel *res* interveniunt minus principaliter, ita ut teneatur certa perſona, non vero certa res; tum dicitur *ius ad rem*. *Ius ad rem* eſt vel ex contractu, vel quaſi; vel ex deli-

cto

ĉto, vel quaſi. Ad tertium caput *actionum* pertinent & exceptiones, replicationes, totusque proceſſus, & denique iudicis officium. In Digeſtis vero ac Codice meras ſolasque *actiones* ordine Edicti Perpetui *Tribonianus* recenſuit, quum duobus prope titulis tantum de *perſonis rebusque* quiddam praelibaſſet.

§. 9. Iuriſconſulti medii aevi numquam ipſi de arte iuris vel per ſomnium cogitarunt, ſatis habentes ſi leges gloſſis, iudices conſiliis obruerent. Quemadmodum igitur theologi illorum temporum ad Sententias & Thomam, philoſophi ad Summulas & Ariſtotelem; ita ipſi ad Iuris Corpus ſua allinebant. Quin immo videntur pro certo habuiſſe, methodo legum ſemper eſſe utendum, quaſi eae & in logicam exercerent imperium; idque & cultiſſimo hoc aevo nonnullis inſignibus viris placuit: *AEgidius Mommerius* in diſſertatione de Studio Iuris negat alios haberi debere locos communes, quam leges, aliam methodum, quam legum, ſolas illas in numerato habendas, cetera negligenda: *Meierus* quoque, collegii argentoratenſis director, in praefatione oblique illis iraſcitur, qui ſuam methodum audent imperatoriae praeferre: et *Antonius Matthaei* in Collegio Fundamentorum Iuris ex profeſſo diſputat novam iuris methodum inutiliter, immo damnoſe hoc rerum ſtatu concipi; fateri ſeſe iuſtinianeam optimam non eſſe, ſed quid ſi, inquit, nec tua ſit? fateri, optandum ut aliud publica auctoritate iuris corpus exſtet; nunc vero quamdiu ad hoc recurrendum ſit, novae methodi commento laborem in duplum creſcere, quia praeter iuſtinianeam nova quoque methodus memoriae imprimi debeat.

§. 10.

§. 10. Sed nos contra methodi iuſtinianeae vitia novae utilitatem explicabimus. Primum in ipſa methodo iuſtinianea labor creſcit in duplum, dum alia eſt Inſtitutionum, alia Digeſtorum Codiciſque methodus. Inſtitutionum methodus per *perſonas*, *res*, & *actiones* primum ſuperflua eſt: actiones enim tam ex iure perſonarum, quam rerum deſcendunt; & ipſae perſonae, v. g. ſervi & filii familias, habentur pro rebus, datur enim non minus ſervi quam equi vindicatio; et in filios familias etiam eſt dominium, ſed certis a republica modis reſtrictum: et, ut breviter dicam, eſt haec methodus non ex iuris, ſed facti viſceribus ſumta; perſonae enim & res ſunt facti, poteſtas & obligatio &c. iuris termini: et ſi ſemel methodum facti eligere voluit, cur non continuavit, cur non ſubdiviſit perſonas & res ex phyſicis & ethicis, v. g. perſonas in ſurdos, mutos, caecos, hermaphroditos, perfectos, viros, feminas, impuberes, minores, adultos, divites, pauperes, nobiles, magiſtratus, ruſticos, peregrinos, haereticos, ſchiſmaticos, &c; res in dividuas, individuas, pretioſas, viles, mobiles, immobiles, ſemoventes, theſauros, nummos, res fungibiles, quadrupedes, equos, feras, &c; cur, inquam, non ita titulos iuris diſtribuit, & in ſingulis quid iuris eſſet, explicuit? Agnovit ſcilicet hac ratione ſecuturas infinitas repetitiones, nec poſſe rem ad univerſalia redigi. Perinde ac ſi geodaeta non formae, ſed materiae ratione doctrinam ſuam partiretur, & ageret de dimenſione agrorum, paſcuorum, camporum arenoſorum, argilloſorum, ſaxoſorum; quis non hunc novum Euclidem rideret? Ita igitur Juriſ-

pru-

prudentiae diviſio a concreto ſumta omnis confuſionis principium eſt, & ad eos potius pertinet, qui vel tractatus vel indices ſcribunt: hi poſſunt ex variis titulis colligere iura feminarum, mutorum, ſurdorum, &c. Illud quoque negari non poteſt, methodum legum hodierno aevo plane non eſſe accommodatam, nullibi iura eccleſiaſtica, nullibi feudalia, nullibi materia concurſus creditorum commode inſeritur. In Digeſtis certe & Codice perpetua ordinis cauſſa eſt veteris iuris ratio, quae tantum ad hodiernam, quantum ſus ad Minervam.

§. 11. Methodus vero nova incredibilia commoda afferet, ſi accurata erit: ita enim primum mirabile orietur compendium diſcendorum, dum generalibus regulis infinitae ſpeciales ſimul diſcentur; & praemiſſis generibus gradatim deſcendetur ad ſpecies, dicenturque ea tantum, quae nuda generalium ſubſumtione non conſtant; nam, ut recte animadvertit *Feldenus* in praefatione Elementorum, quid opus eſt ſpecialiter inculcare, minorem indigere curatore, alio loco furioſum, alio abſentem, quum generalis regula ſit ex ipſis politicae principiis manifeſta, *qui negotiis ſuis ipſe praeeſſe non poſſit, eum indigere curatore?* Deinde memoria ipſa illa naturaliſſima rerum ex ſe fluentium connexione ſummopere iuvabitur, ſi nempe ex terminis in generis definitione poſitis, ſeu ex ipſa generis differentia, ſumantur differentiae ſpecierum ſibi contradiſtinctae. Denique quum accurata methodus non eſſe poſſit ſine accuratis terminorum definitionibus; definitio enim generis velut clavis eſt differentiarum ſpecies conſtituentium; imbibetur eadem opera ſolida iuris cognitio, & via patebit per ratio-

rationes univerſales caſus in iure indeciſos determinandi: ut ita tam memoriam, quam iudicium appareat a methodi perfectione pendere.

§. 12. *Antonii Matthaei* emplaſtra cauſſae deſperatae non medebuntur. Fatetur tribonianeos methodi lapſus; ergo fatebitur optandam meliorem; breviter, novum iuris corpus. Quid igitur methodos averſatur, ſi nihil aliud ſaltem novi corporis σκιαγραφία (a)? Quod de duplicato labore argutatur, nihil eſt; nam methodum naturalem diſcere, non eſt labor; immo dum rerum accuratae definitiones percipiuntur, eadem opera methodus perfecta aliud agendo hauritur. Erit vero illa vel ut index corporis iuſtinianei, debebitque ad marginem loca legum correſpondentia allegari.

§. 13. Methodum iuris varii varie iniere. omnes non perſequar, non *Coraſium*, aut *Matth. Stephani* diſſert. de Arte Iuris, non *Hug. Donelli* in Com. methodum, non *Chopium* de Vera Philoſophia Iuris, non *Hopperi* Seduardum, non *Martini Del-Rio* Principia, non illum Sulsbaci, cura iunioris Helmontii, nuper latine germaniceque recuſum *Octavii Piſani* egregium Lycurgum, non quae *Feldenus*, aut *Puſendorfferus*, aut *Rich. Zucchaeus* laudabiliter tentavere, non *Grotii* ordinem, cl. Thomaſii iudicio ſi non optimum, certe nec peſſimum; facilius enim carpere quam emendare: ſaltem de *Theod. Althuſio* & *Herm. Vulteio* admonebimus, quorum ille in Dicaeologia, hic in Iurisprudentia Romana ius in artem redigere non verbis ſolum, ſed facto tentavit. Verum uterque, quod in methodo tribonianea deſiderabam, factum iuri miſcuit: nam *Althuſii* prima haec ſtatim diviſio eſt, iuriſpru-

(a) *adumbrata deſcriptio*.

den-

dentiam eſſe duplicem, aliam de facto, aliam de iure; quaſi vero iuriſprudentiae ſit de facto agere, aut quaſi detur iuriſprudentiae ſpecies, quae de iure non agat: *Vulteius* vero inter alia in eo diſplicet, quod obligationem referat ad ius perſonarum, tamquam contradiſtinctum iuri rerum; quum tamen, ut infra oſtendemus, in ipſo iure rerum intercedat perſonae poſſidentis obligatio ex facto eius, tamquam quaſi contractu, poſſeſſione nempe, orta, qua tenetur ad reſtituendum. Cetera particularius non perſequemur.

§. 14. Sed quia de aliis iudicium nobis ſumſimus, eamdem in nos poteſtatem publicatione noſtrarum meditationum faciemus. Demus igitur operam, ut ſolidam methodum ex ipſis rerum definitionibus eruamus. *Iuriſprudentia* eſt *ſcientia actionum, quatenus iuſtae, vel iniuſtae dicuntur: iuſtum* autem *atque iniuſtum* eſt, *quidquid publice utile vel damnoſum eſt: publice*, id eſt, primum mundo, ſeu rectori eius Deo, deinde generi humano, denique reipublicae; hac ſubordinatione, ut in caſu pugnantiae voluntas ſeu utilitas Dei, ſi ita loqui licet, praeferatur utilitati generis humani, & haec utilitati reipublicae, & haec propriae: hinc Iuriſprudentia *divina*, *humana*, *civilis*. De propria autem utilitate dicere, non iurisprudentiae, ſed politicae eſt.

§. 15. *Moralitas* autem, ſeu *iuſtitia* vel *iniuſtitia actionis* oritur ex qualitate perſonae agentis in ordine ad actionem, ex actionibus praecedentibus orta, quae dicitur *qualitas moralis*. Ut autem qualitas realis in ordine ad actionem duplex eſt, potentia agendi, & neceſ-

ſitas

ſitas agendi ; ita potentia moralis dicitur *ius*, neceſſitas moralis dicitur *obligatio*.

§. 16. *Subiectum qualitatis moralis* eſt *perſona* & *res*. *Perſona* eſt ſubſtantia rationalis, eaque vel *naturalis* vel *civilis*. *Naturalis* Deus, angelus, homo: ſed Deus eſt ſubiectum iuris ſummi in omnia, nullius vero obligationis. *Perſona civilis* eſt collegium, quod, quia habet unam voluntatem certo ſigno dignoſcibilem, v.g. ex pluralitate votorum, ſorte, &c. ideo obligare & obligari poteſt. *Res* quoque ſubiectum iuris eſt & obligationis: v. g. ſi officio aliquid legetur, ius erit apud omnes ſucceſſores: ſi quis in officio exſiſtens, qua talis eſt, alicui damnum det, ipſum officium tenebitur, tranſibitque in ſucceſſores obligatio: ita ſi equo aliquid legetur, v.g. phalerae, dubitandum non eſt, ad dominum equi, alienato equo, rem tranſire: idem de ſervo iuris eſt, qui ipſe non pro perſona habendus, ſed re. in omni vero iure reali res eſt ſubiectum obligationis. Porro ad ſubiectum pertinet tota *ſucceſſionum* materia; quia ſucceſſio eſt motus iuris vel obligationis de ſubiecto in ſubiectum. Tractandum & hic de iis, quae pluribus communia ſunt.

§. 17. *Obiectum iuris & obligationis* eſt *corpus ſubiecti*, *res*, *perſona tertii*; *ius* in corpus meum, tamquam *ſubiecti*, dicitur *libertas*. *Ius in rem* dicitur *facultas*, & habet ſpecies, dominium directum in rei materiam, utile ſeu ius utendi fruendi in formam, ius ſervitutis in partes formae ſeu qualitates, ius detinendi, uſucapiendi conditionem, & alia iura realia. *Ius in perſonam* dicitur *poteſtas*, & multis modis variat. interdum vitae & necis, interdum

dum caſtigationis, interdum increpationis, &c. *Obligatio* eſt ne alterius *libertas*, *facultas*, *poteſtaſque* impediatur: quae impeditio dicitur *iniuria*. Et *obligatio*, ne *poteſtas* alterius in me impediatur, eſt *poſitiva*, qua teneor aliquid facere vel pati; & dicitur κατ' ἐξοχὴν (a) *obligatio*: ceterae *obligationes*, ne alterius *libertatem* impediam, vel arripiam rem, ſunt magis *privativae*. *Obiectum* porro *iuris mei* eſt quidquid mea intereſt, idque vel ipſummet, vel aequipollens ſeu aeſtimatio; quo pertinent *pretia* rerum.

§. 18. *Cauſſa qualitatis moralis* eſt *natura* & *actio*. *Natura* eſt cauſſa *libertatis* & *facultatis*, & correſpondentis in alio obligationis de non impediendo. *Actio* eſt cauſſa poteſtatis in perſona agente ad aliquid faciendum, vel in ſeipſa aut rebus ſuis patiendum; eſtque vel *poſſeſſio*, vel *iniuria*, vel *conventio*. *Poſſeſſio* tribuit *ius reale* primum in corpus meum, quia hoc ante omnia poſſideo, hinc *libertas*; deinde in res alias, quae ſunt nullius, hinc *facultas*: unde mihi ius oritur rem meam, ubi invenio, vindicandi; et alteri obligatio hoc non impediendi. *Iniuria* in ſtatu mere naturali dat laeſo ius *libertatis*, *facultatis*, *poteſtatiſque* omnimodae, ſeu ius belli in laedentem ſocietatis ruptorem. Sed in rebus publicis, immo & aequitate duce, ita reſtricta eſt haec licentia, ut aeſtimatione debeat eſſe contentus, reſervata reipublicae poena, ſi damnum conſulto datum eſt: *Iniuria* igitur fons eſt delictorum & quaſi delictorum; *conventio* vero promiſſiones acceptationeſque omnes in ſe continet; quo pertinet doctrina de verborum interpretatione, conditionibus, &c.

(a) *per excellentiam*.

&c. quaſi contractus vero ad ius reale pertinent. Multa vero, quae ex his naturae fontibus non videntur deſcendere, ſed ex lege, illa omnia eo ipſo ex eorum uno, nempe ex conventione deſcendunt, quia populus in legislatorem compromiſit.

§. 19. Quare & omnes obligationes publicorum iudiciorum, ſive ad poenam corporalem ſive pecuniariam tendant, pertinent ad *pactorum* fontem: promiſit enim quilibet ſubditus reipublicae, ſe decreta eius vel univerſalia, ut *leges*; vel ſingularia, ut *ſententias*, rata habiturum. Decrevit autem lex, ut qui hoc faciat, illud perſolvat: ex ipſo igitur *pacto* promiſſae ſidelitatis tenetur. Ita patet, ad hunc locum reduci *die policey-ordnungen* (a), ordinationes nempe politicas, quibus vita, converſatio, ſumtus veſtium, conviviorum, omnes denique ſubditorum actiones formantur; nec minus *criminalia*, quae circa maiora, pacem nempe publicam, ſecuritatem civium, honoremque Dei & magiſtratus occupantur. Ex eodem *pactorum* fonte eſt *ius publicum*, & ipſe denique proceſſus tam civilis quam criminalis; cuius finis eſt exſecutio, quae eſt realiſatio qualitatum moralium, ſeu ut qui habet poteſtatem vel neceſſitatem moralem, habeat & naturalem.

§. 20. Ita igitur *univerſi iuris* ſumma capita deduximus: nam modi adquirendi iuris ſunt 1) *natura*, libertatis nempe & facultat s in res nullius agendi (§. 17.): 2) *ſucceſſio* (§. 15.), quae non producit novum ius, ſed vetus transfert: ſuccedunt autem ab inteſtato mero iure ſoli deſcendentes in ſtirpes, ſed ita in ea tantum

C

(a) *la civile polizia*.

tum bona, quae parentis erant, quum naſcerentur, quia per traducem a parentibus orti ſunt; ceterorum ſucceſſio ab inteſtato pertinet ad fontem pactorum, quia ex lege deſcendit: teſtamenta vero mero iure nullius eſſent momenti, niſi anima eſſet immortalis (a): ſed quia mortui revera adhuc vivunt, ideo manent domini rerum; quos vero heredes reliquerunt, concipiendi ſunt ut procuratores in rem ſuam. 3) Tertius adquirendi iuris modus eſt *poſſeſſio rei nullius* animo in poſterum quoque poſſidendi; ex quo ius in poſterum quoque poſſidendi tractandique oritur, quod eſt reale: 4) *conventio*, velut traditio incorporalis, per ſigna rei aequipollentia, ſeu verba; quo pertinet, quidquid ex iure civili ſeu lege deſcendit, ut criminalia & proceſſus: poteſt tamen *conventio* reduci non ſolum ad *poſſeſſionem*, ſed & ad *iniuriam*; quia fallere eſt damnum animo dare: 5) *iniuria*, velut ruptio ſocietatis humanae in ſtatu mere naturali omne ius mutuo tollens, immo alteri in alterum resque eius ius abſolutum tribuens; quod tamen in republica legibus eſt reſtrictum.

§. 21. Cauſſae autem iuris in uno, ſunt modi amittendi iuris in alio, ſeu adquirendae obligationis; modi autem amittendae obligationis, ſunt cauſſae recuperandi iuris, ſeu liberationis: qualis eſt 1) *mors ſine heredibus*, 2) *ſolutio* quo reducitur compenſatio, & 3) *conventio* quo iterum reducitur lex. Ita igitur arbitror, ſumma iuris capita ex meri iuris evidentiſſimis principiis a me ſatis digeſta eſſe; neque enim alia iuris obligationisque cauſſa, aut contrarium ſeu deſtructivum reperiri poteſt, quod in his non con-

(a) *Emenda, ut in praefatione Wolfii.*

continceatur: ſpecialius rem deducere, peculiari operae debetur. Haec autem, quae de methodo diſponendi iuris diximus, merito hoc loco praemittenda erant; quia non ſolum iurisprudentia *didactica*, ſed & *polemica* accurata hac methodo diſponi debet.

§. 22. Nec omittenda hoc loco, quae de iurisprudentiae *polemicae* incluſione in pomoeria *didacticae* magni viri conſuluere; ſi exſtantiores controverſiae publica auctoritate decidantur, formeturque novum iuris corpus accurate diſpoſitum: quam in rem illuſtriſſimi *Baconi*, tum in Sermonibus Fidelibus, tum in Augmentis Scientiarum, praeclarae meditationes exſtitere. Mihi breviter videtur, tria in novo corpore requirenda; ut ſcilicet conſcriptum ſit *plene*, *breviter*, *ordinate*: ita aberit repetitio, obſcuritas, contradictio.

§. 23. Tempus eſt, ut ad noſtra *iuris elementa* redeamus. Haec ſupra (§.7.) diviſa ſunt in *definitiones* & *praecepta*. *Definitiones* includi poſſunt libro, qui ob formam appellari poteſt Partitiones Iuris; quo nomine & cl. vir, Dn. *Ioh. Otto Thabor* ſuum aliquem laborem inſignivit. In eo declarentur termini uſitatiores, eorumque definitiones & diviſiones explicentur methodo, quam dixi: omittantur vero curioſitates philologicae, ſynonymiae: aequivocationes vero, ſed inſignes, & quae confuſionis principium eſſe poſſint, non quaelibet obviae colligantur, ſignificatioque famolior eligatur. Interea cl. *Rebhanii* Hodegeta Iuris poterit non inutiliter legi, qui in vocabulorum explicatione in primis operam poſuit. Cauſſae vero, contraria, effectus, obiecta, ſubiecta, non pertinent ad *definitiones* ſeu

terminorum explicationes, ſed ad regulas ſeu *praecepta.*

§. 24. *Praeceptorum* iurisprudentiae videamus *materiam*, & *Formam*. *Materiae* ratione inſerantur ea tantum, quae in legibus expreſſe exſtant, & certi minimeque controverſi iuris ſunt: item ea tantum, quae adhuc in uſu verſantur, minimeque abrogata ſunt; ab hodierno enim iure tironi incipiendum eſſe infra oſtendemus: omittantur item ea omnia, quae ex ipſo iure naturae & ſanae rationis principiis ita conſtant, ut ruſticus perceptis terminis (quos propterea praemiſimus in *definitionibus*) agniturus ſit; nam tota fere conventionum doctrina ex iure naturae fluit, ſed haereditates, proceſſus, & criminalia poſitivis ſcatent: omittantur denique, quae non tam ſunt quaeſtiones iuridicae, quam vel hiſtoricae, v. g. cur Iuſtinianus dicatur alemannicus, francicus; vel philologicae, v. g. an teſtamentum recte derivatum ſit a teſtatione mentis; vel philoſophicae, v. g. rectene Iuſtinianus definierit iter, actum, viam; an mutuum ſit alienatio: ponantur ea tantum, quae decidunt, quid, propoſito aliquo facto, ſit iuris. Omiſſis igitur his omnibus, nempe 1) *incertis*, 2) *abrogatis*, 3) *manifeſtis*, 4) *alienis*, mira erit huius elementorum libelli brevitas facilitasque.

§. 25. *Forma praeceptorum* conſiſtit tum in diſpoſitione *titulorum*, tum *ſubtitulorum*. *Titulorum* diſpoſitio primum ea ſit, quae *definitionum*; unde non erit incommodum, ſi *praecepta definitionibus*, aliis ſaltem typis, interſerantur: deinde obſervetur in primis, ut, quantum fieri poteſt, abſtrahantur univerſalia; ſunt enim *prae-*

cepta

cepta primum *generaliſſima*, quae dicuntur *bro-cardica*, & haec a variis materiis etiam toto genere diverſis abſtrahunt, v. g. *omnis modus amittendi iuris eſt voluntarius*, ſeu *nemini ius ſuum invito auferri poteſt*. Haec regula tam eſt univerſalis, ut nullam penitus patiatur exceptionem. Cur igitur, inquies, vulgo excipiunt, *niſi poenae loco a ſuperiore?* Sed ideo illi hoc excipiunt, quia moralium principia non penetrarunt: nam quod a ſuperiore aufertur, volenti aufertur; quia in ſuperioris actiones ratas habendas iam olim conſenſum eſt (a). Sed datur tamen ſuperior, inquies, in quem conſenſum non eſt, v. g. Deus iure creationis: is igitur Aegyptiis penitus invitis ius ſuum abſtulit. Sed ſciendum, in comparatione ad Deum nullum dari ius, ideo nec iuris ablationem. Mors proprie non eſt amiſſio iuris, quia ipſa perſona amittitur; nec ſolutio (invito enim ſolvi poteſt) non magis, quam uſusfructus perit conſolidatione: nuditas iuris perit, non ius; ius potius perficitur. Poſſem aliis infinitis exemplis oſtendere, quoties *brocardica* eiuſmodi multis exceptionum ſpinis ſine neceſſitate muniantur. Interdum vero formantur *brocardica* quaedam, plurimas exceptiones neceſſario habentia: ſed talia ego inepta iudico; quoties enim regula in uno vitiatur, perdit officium ſuum: officium enim regulae, tranquillare animum, ut certus ſit in omnibus ſpeciebus ſubiecti praedicatum obtinere: quod ſi regulae habent exceptiones, fruſtraneae ſunt; quia fidi illis non poteſt. Quod igitur vulgo iactatum eſt, *nullam regulam eſſe ſine exceptione*, mihi perinde eſſe

(a) *Grot. de iur. b. & p. l. 2. c. 21. §. 12.*

videtur ac illud, *nunc ego mentior*, vel illud ſcepticorum, *nihil ſcitur, ne hoc quidem, quod nihil ſcitur*, qualia nos collegimus in Specim. Quaeſt. Philoſ. ex Iure, quaeſt. 12.: nam haec regula ſeipſum ſimul probat & improbat. Quia enim nulla regula ſine exceptione, & hoc ipſum axioma eſt regula; ideo ipſum quoque non erit ſine exceptione; ergo aliqua regula ſine exceptione: quia igitur nulla regula ſine exceptione eſt; ideo falſum, nullam regulam ſine exceptione eſſe. Sed hoc obiter. Interea pro certo habendum, ignaviae ignorantiaeque in dicterio iſto latibulum eſſe: nam & in grammaticis (unde ortum habet) olim *Sanctius*, poſtea *Scioppius* regulas tales exhibuere, quarum non datur exceptio; ſed quidquid vulgo pro exceptionibus habitum eſt, aut ellipſis eſt, aut pleonaſmus alicuius vocabuli. Idem vitium & in philoſophicis vulgo regulis regnat, unde & in iuridicas manavit. nam, ut cl. vir *Ioh. Adamus Scherzerus* in Manualis Philoſophici praefatione monuit, dicta quaedam inter regulas repoſita ſunt, quae plures habent limitationes quam exempla; v. g. *qualis cauſſa, talis effectus*: quod ubi multis diſtinctionum ſaepibus defendere conati ſunt, tandem tamen huc recurrunt, ſcilicet in cauſſis univocis. Quid autem eſt cauſſa univoca? Ea nempe, ubi qualis cauſſa, talis effectus eſt. Regula igitur ſic concipienda erit: *ubi qualis cauſſa, talis effectus; ibi qualis cauſſa, talis effectus*.

Spectatum admiſſi, riſum teneatis, amici? Quare regularum philoſophicarum accuratam explicationem non inutiliter molitur clariſs. *Thomaſius*, &, uti ſpero, propediem

pu-

publico donabit : nos quoque , ſi Deus vires dederit , reformationem *brocardicorum* quam primum concipiemus , redigentes ad perfectam univerſalitatem omnia , & , quae hoc non patientur, tamquam inepta reiicientes . Interea illas limitationes non eſt opus regulae allinere , quae ex aliis regulis in eodem libro traditis aut tradendis , per combinationem ſumuntur : v. g. *qui promiſit , praeſtet ; niſi praeſtiterit , niſi liberatio ei legata ſit , niſi compenſare poſſit* , &c. Quid haec addere opus eſt ? Per ſe ex regulis poſtea tradendis conſtant , & coacervantur hac ratione tantum inutiles repetitiones & grandes libri. His malis hactenus occurſum non eſt ; ideo neſcio , quem in primis regularum iuridicarum auctorem commendem : laudantur tamen *Barboſa* & *Diaz* , ut eos praeteream , qui regulas iuris grandibus in folio lexicis complecti voluerunt.

§. 26. Et haec de *praeceptis generaliſſimis* ſeu *brocardicis*. Sequuntur *intermedia* ad certas materias reſtricta , nondum tamen ſpecialiſſima ; v. g. *cuicumque debetur reverentia , ille non eſt in ius vocandus* , v. g. parens , patronus , magiſtratus coercendi ius habens , &c. Idque demonſtratur ex natura vocationis in ius , quae fit per vim ; obtorto enim collo nolentes trahebantur : cuicumque autem debetur reverentia , ille non eſt violandus. quod eſt principium ex mero iure naturae vel ruſticis conſtans. Danda igitur opera eſt , ut , ubicumque fieri poteſt , regulae generales concipiantur ad compendium diſcendi : immo tentetur , an concipi poſſit regula aliqua habens gradum neceſſitatis , qui dicitur καθόλου πρῶτον (*a*) ab Ariſtotele , ſeu *reciproca* , ut ſubiectum aequale ſit praedicato , nec poſ-

(a) *in genere primum.*

Digitized by Google

ſit ſubiectum generalius ad hoc praedicatum reperiri. Quo pertinent ea, quae in Arte noſtra Combinatoria meditati ſumus: v. g. *omnis & ſolus, qui res alienas in poteſtate habet, tenetur ad inventarium aut iuratam ſpecificationem*; & contra, *qui tenetur ad talem certam ſpecificationem, ille res alienas in poteſtate habet*: nam & heres hereditatem, quae ſolvendo non eſt, reſignaturus, ad eiuſmodi ſpecificationem tenetur, quia ex poſtfacto apparet aliena poſſediſſe. Similiter in materia torturae hanc mihi generalem regulam concipio, *omnis & ſolus qui condemnaretur rebus ſic ſtantibus, ſi cauſa eſſet civilis, ille in cauſa criminali eſt torquendus*; quia in cauſſa criminali nemo condemnatur, niſi confeſſus: ad confeſſionem igitur cogendus eſt, qui criminis convictus eſt. Unde ille etiam torqueri debet, qui exceptionem ſuam probare non poteſt; *ſondern er muſz ſie auf der tortur erhalten* (a), quia qui in civilibus exceptionem probare non poteſt, condemnatur. Haec una regula eſt inſtar multarum, quae de indiciis ad torturam ſufficientibus vulgo exſtant. Ita in pleriſque materiis res ad talem propoſitionem reciprocam reduci poſſet: qua de re multa admonuit cl. *Feldenus* tum in Notis ad Hugonem Grotium, tum in Elementis Iurisprudentiae. Et haec de *praeceptis intermediis*. *Specialiſſima* vero ut plurimum iuris poſitivi ſunt, & in ſollemnitatibus conſiſtunt; ſuntque, generalibus demtis, admodum pauca: ſaepe enim una regula aut altera totus aliquis titulus abſolvetur. Specimen huius rei, Deo iuvante, daturus ſum aliquando in *Menochii* & *Maſcardi* libris de Praeſumtionibus

(a) *ma egli deve ſoffrir la tortura*.

bus & Probationibus; qui quanticumque ſunt, poterunt tamen in paucas vix plures quam 100 naturaliſſimas regulas ita contrahi, ut liceat inde cetera omnia manifeſta conſequentia derivare. Laborem illum noſtrum Compendium Menochii & Maſcardi de Probationibus & Praeſumtionibus inſcribemus.

§. 27. *A titulis* eorumque diſpoſitione veniamus ad *ſubtitulos*. *Subtituli* autem hi ſunt, forma ſeu definitio, ſubiectum, cauſſa, effectus, contrarium ſeu deſtructivum. Non ignoro, varie a variis haec aſſignari; ſed ſi accuratius diſpexeris, omnia ad haec reducuntur. In his digerendis in primis diligens eſt *Weſenbecius*, & illi quoque qui claſſes actionum ſcripſere, *Oldendorpius* & *Haerſolte*. Sed de *ſubtitulis* fuſius dicere ad *doctrinam topicam* pertinet. Hi igitur *ſubtituli* in quolibet titulo ſeu materia ſunt obſervandi.

§. 28. Et haec de *iurisprudentia didactica*, ſeu elementis iuris, quae non iurisconſultis ſolum, ſed & theologis medicisque tenenda ſunt: nam theologiam, iurisprudentiam, medicinamque didacticam decet theologos, iurisconſultos, medicos, ſingulos cuncta ſcire; etſi interea neceſſe non ſit, unum in controverſias & ſubtiliora alterius ſe intromittere, quae ad partem cuiuſque *polemicam* pertinent. Et ſcio, magnos viros in ſenectute poenitentiam egiſſe ſpretae in iuventa iurisprudentiae, quae quantum theologo prodeſſe poſſit, demonſtravimus ſupra (§. 5.).

§. 29. Tantum de *iurisprudentia didactica*, nunc ad *hiſtoricam* pes promovendus. *Iurisprudentia hiſtorica* eſt vel *interna*, vel *externa*: illa ipſam iurisprudentiae ſubſtantiam ingreditur, haec ad-

adminiculum tantum eſt & requiſitum. *Hiſtoria iuris interna* eſt, quae variarum rerumpublicarum iura recenſet; qualia exſtabant olim opera *Ariſtotelis*, & *Theophraſti*, ſed quibus ad noſtram usque aetatem vita non ſuperſuit. Habemus leges moſaicas in ſacra Scriptura, quarum cum romanis comparationem paullo poſt Iuſtinianum graeculus aliquis inſtituit; hodie vero diligentiorem ea in re operam *Zepperus* navavit. Legum aegyptiarum, perſicarum, ſcythicarum exſtant reliquiae apud *Herodotum*, in fragmentis *Cteſiae*, & *Diodoro Siculo*. Graecorum inſtituta diligentiſſime perſecutus eſt *Pauſanias*, & noſtri aevi velut alter Pauſanias, *Meurſius*. Iura Romanorum ſatis cognoſci ex variis eorum monumentis poſſunt, de quo mox. Gentium primo barbararum poſtea excultarum iura, ſcilicet Longobardorum, Gothorum, Francorum, leges ſalicae, aliaque id genus vetuſtatis monumenta collegit, unoque volumine edidit *Lindenbrogius*. Nihil dicam de Bullariis Pontificum, nihil de gallico codice *Land-recht*, & *Weichbild* (*a*) Saxonum, ſtatutis Polonorum, corpore iuris prutenico, conſuetudinibus Italorum magnam partem collectis a cardinali *Tuſco*, nihil de iuribus Saxonum, Hungaricorum, conſuetudinibus marchicis, aliiſque id genus gentium moribus prope infinitis. Ex his aliiſque omnibus undecumque collectis, Deo dante, conficiemus aliquando Theatrum Legale,& in omnibus materiis, omnium gentium, locorum, temporum placita παραλλήλως (*b*) diſponemus. Hiſtoria iuris romani in ſpecie etſi a *Forſtero* in Hiſtoria Iuris, & *Iac. Gotho-*

fredo

(a) *del Dritto Principale*; *e dello Specchio Saſſonico.* (b) *comparate*.

fredo in Manuali adumbrata ſit; deſidero tamen ſpecialiorem recenſionem, quid a quolibet tribuno per plebis ſcita, aut a quolibet conſule per ſenatus conſulta, praetore per edicta, & imperatore per conſtitutiones ordine innovatum ſit, donec in hanc formam ius romanum crevit. Hoc igitur nos, libello de Auctoribus Iuris Romani, aliquando exſequemur, qui libenter ab aliis neglecta aggredimur.

§. 30. *Hiſtoria externa* ad iurisprudentiam neceſſaria eſt: *hiſtoria romana* ad intelligendum ius civile: *eccleſiaſtica* ad intelligendum ius canonicum: *medii aevi* ad intelligendum ius feudale: *noſtrorum temporum* ad intelligendum ius publicum.

§. 31. *Hiſtoria romana* eſt quadruplex, reipublicae liberae, hiſtoria auguſta, hiſtoria Imperatorum graecorum ante Iuſtinianum, & denique poſt Iuſtinianum. Hiſtoria reipublicae liberae per compendium tradita eſt tum a *L. Annaeo Floro* in Compendio Rerum Romanarum per *Freinshemium* exornato; tum in alio *Floro* Livii epitomatore, de quo Martialis,

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum bibliotheca capit;

denique in *Iuſtino* epitomatore *Trogi*, quem *Matth. Berneggerus* accurate perpolivit. Fuſius vero res romanas ante Auguſtum deſcripſere *T. Livius Patavinus*, *Dionyſius Halicarnaſſeus*, *Plutarchus* in Parallelis; *Dio* vero tranſitum Romae a democratia ad monarchiam memoriae conſecravit. Nec inutiliter recentiores addentur *Ioh. Zamoſcius*, *Carolus Sigonius*, *Fr. Robortellus*, *Manutius*, *Turnebus*, *Lipſius*, *Ioſ. Scaliger*, *Th. Demſterus a Muresk*, *Octavius Ferrarius*, *Fortu-* nius

nius Licetus, *Ianus Gruterus*, in primis eius Fax Critica (velut tractatus tractatuum philologicorum) & Inſcriptiones, quarum ſupplementis cl. vir *Th. Reineſius* immortuus eſt. Nihil de *Salmaſii* Pallio & Militia Romana, *Budaei*, *Gronovii* Seſtertio, *Bartholini* Penula, *Barthii* Adverſariis, variis denique variorum in rem romanam curis dicam. Addi poterunt ii, qui in notis ad auctores ſua collectanea per occaſionem effuderunt. Ex hac hiſtoria haurientur leges XII. tabularum, iura praetoria, origo iurisconſultorum, & quaecumque Ciceronis aevo vel antea apud Romanos obtinuerunt. Illo tempore iurisprudentia romana nihil a naturali receſſerat, quia nondum ad libidinem dominantium leges inflectebantur.

§. 32. *Hiſtoria Auguſta* eſt ab Auguſto usque ad Conſtantinum magnum: unde & ita inſcribuntur variorum hiſtoricorum libri a *Frid. Sylburgio* editi, & in Belgio aliquoties aliter formati. Hanc nobis reliquere *Dio Caſſius*, *Suetonius*, *Tacitus*, *Velleius*, *Herodianus* graecus ſcriptor, *Aelius Lampridius*, aliique minutiores. Nec parum ad illuſtrandam illam conferunt panegyrici variorum, qui nunc ut plurimum *Plinii Iunioris* Epiſtolis adiunguntur. Addendi, qui ſub Imperatoribus floruere, *Philo*, *Ioſephus*, *Martialis*, *Statius*, & ſcriptores eccleſiaſtici *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Euſebius*. Sub Imperatoribus autem iura romana multum a priſca ſimplicitate receſſerunt: primus Auguſtus fideicommiſſa introduxit & codicillos: ſub Hadriano Edictum Perpetuum concinnatum eſt: quid Marcus, Verus, Commodus, Severus & Antoninus, Diocletianus denique & Maximianus contulerint,

par-

partim Codex, partim iuriſconſultorum reliquiae docent.

§. 33. Hiſtoria graeca ante Iuſtinianum a Conſtantino magno usque hauriri poteſt ex ſcriptoribus hiſtoriae eccleſiaſticae, & profanis *Ammiano Marcellino*, *Zonara*, *Oroſio*, *Iornande*, *Procopio*, tum in hiſtoria dudum vulgata, tum in primis in hiſtoria arcana, ubi Iuſtiniani vitia detexit, quae a *Nic. Alemanno* primum edita, a cl. *Eichefio* Helmeſtadii reviſa eſt: *Th. Rivius* anglus ſcripſit apologiam Iuſtiniani contra Procopium, & *Paganinus Gaudentius* tractatum elegantem de Moribus Saeculi Iuſtinianei. Legantur huc *Sidonius Apollinaris*, *Auſonius*, *Claudianus*, Epiſtolae *Symmachi*: addatur Notitia Imperii Orientalis & Occidentalis per *Guidonem Pancirolum* cum notis edita, ad intelligendum *librum* 1. 10. 11. 12. Codicis; nec inutiliter legetur *Fr. Hottomanni* Anti-Tribonianus.

§. 34. Hiſtoria ſequioris Graeciae ſumenda in primis ex *Cedreno*: ſtatus aulae ex *Curopalatae* libro de Officiis: addantur & duo auctores graeci, quorum unus ſcripſit hiſtoriam Mauritii; alter hiſtoriam Captae Conſtantinopoleos; quos edidit cum notis ieſuita *Pontanus* (nominum non recordor, quia ſine libris ſum): denique Originem & Geſta Turcarum perſecutus eſt *Laonicus Chalcocondylas* graecus. Saracenorum hiſtoria ab *Elmacino* ſcripta eſt: expeditiones in Palaeſtinam, ſeu bellum ſacrum, grandi libro exponuntur, cui titulus eſt, Geſta Dei per Francos: iura vero ſequioris Graeciae ex Baſilicis conſtant, & Epitome *Harmenopuli*, aliisque reliquiis diligenter recenſitis a *Iac. Gothofredo* in Manuali, quem

non

non exſcribo. Ius hoc graecum admodum illuſtravit *Iac. Cuiacius* : noſtris temporibus multum in eo poſuit operae *Carolus Hannibal Fabrotus*: *Ioſephi Mariae Suareſii* Notitia Baſilicorum, recentiſſimae gallicae Baſilicorum editioni addita eſt. Multa adhuc latent non in Oriente tantum, ſed & in bibliothecis Europae; quemadmodum ſpes facta eſt, budenſem nuper Viennam translatam nonnulla huius generis attuliſſe, quae paullatim omnia dies producet.

§. 35. Poſt *hiſtoriam romanam* ad intelligendum ius civile, ſequitur *eccleſiaſtica*, ad intelligendum ius canonicum, quae eſt vel *totalis* vel *partialis*. *Totalis* eſt vel *compendioſa* vel *fuſa*. *Fuſa* eſt in *centuriatoribus magdeburgenſibus*, Annalibus *Baronii*, Annalibus *Bzovii* Baronium continuantibus: addantur *Torniellus*, & *Salianus*. *Compendioſa* eſt *Pappi*, *Ioh. Henr. Hottingeri* indigna nuper morte defuncti, Gothana nupera, *Ioh. a Laet.* Hiſtoria Univerſalis, cuius dimidiam ſemper partem rebus eccleſiaſticis magno ſtudio impendit, *Spondani* Epitome Baroniana, *Oſiandri* Epitome Centuriatorum Magdeburgenſium.

§. 36. *Hiſtoria eccleſiaſtica partialis* eſt *rituum*, *martyrum*, *patrum*, *dogmatum*, *conciliorum*, *haereſium*, *regiminis*, *pontificum*, *ordinum eccleſiaſticorum*. De *ritibus* habemus *Ioh. Baptiſtam Caſalium*: adde in primis, quae in commentario ad dictum Tertulliani *fiunt non naſcuntur Chriſtiani* part. 1. ordine alphabetico collegit cl. *Zimmermannus*: huc legenda *Caſauboni* Animadverſiones ad Baronium, *Richardi Montacutii* & Baronio & Caſaubono adverſantis ſcripta, *Salmaſii* Apparatus, varii tractatus *Ioh. Dallaei*. De

mar-

martyribus ſunt variorum Martyrologia, ut *Bedae*, *Uſuardi*, *Molani*, *Baronii*: huc pertinet tractatus de Suppliciis Veterum Chriſtianorum *Nic. Gallonii*, item Vitae Sanctorum per *Laurentium Surium* grandibus tomis comprehenſae. In *patribus*, qui ſcripta nobis reliquerunt, variorum diligentia ſe exercuit. Olim *Hieronymus* ſcripſit de Scriptoribus Eccleſiaſticis, hodie *Bellarminus* ex romano-catholicis; *Ioh. Gerhardus* lutheranus reliquit Patrologiam, *And. Rivetus* reformatus Criticum Sacrum: eodem argumento occupatur cenſura *Coci*, & *Raynoldi* de Apocryphis, & contra Hartum liber: quo pertinent Scripta Patrum Orthodoxographa ſimul edita, & cuius haec praeludium fuere, ipſa Bibliotheca Patrum recuſa aliquoties, & nunc demum Pariſiis vaſto labore edita.

§. 37. *Hiſtoria dogmatum* eccleſiaſticorum, ſeu quid quolibet tempore & loco quisque in quolibet articulo ſenſerit, diligenter collecta eſt a *Dionyſio Petavio* ex romano-catholicorum ſententia in grandi illo de Dogmatibus opere totam theologiam complexo, a *Ioh. Gerhardo* in laborioſiſſima Confeſſione Catholica pro lutheranis, quam filius *Ioh. Erneſtus Gerhardus* in compendium contraxit; quo pertinet & Catalogus Teſtium Veritatis *Matth. Flacio* directore collectus. Pro reformatis vero in colligenda patrum harmonia laboravit *Ioh. Forbeſius* in nobili opere Inſtructionis Hiſtorico-theologicae. Dogmata autem ut plurimum in conciliis ſtabilita ſunt: huius igitur loci eſt hiſtoria conciliorum, quam contraxere *Fr. Longus Coriolanus* in Summa Conciliorum, & *Barth. Caranza* in Summa Conciliorum & Pontificum. Ipſi vero tomi con-

ci-

ciliorum Coloniae primum editi ſunt, poſtea aliquoties in Gallia, & poſtremum ſumtuoſiſſimo illo opere regia pecunia accurato: aliam, ut audio, editionem minus ſplendidam ſumtuoſamque Galli compreſſioribus litteris moliuntur, ne plane deſtituatur utiliſſimo opere, cui arctiores paullo res ſunt. Dogmatum in his conciliis reiectorum ſeu haereſium catalogum ſcripſit olim *Auguſtinus* ad Quodvultdeum, cui notas addidit *Lamb. Danaeus* reformatus: ſcripſit & *de haereſibus Alphonſius a Caſtro* romano-catholicus, & *Conrad. Schluſſelburgius* lutheranus in Catalogo Haereticorum.

§. 38. *Hiſtoriam regiminis eccleſiaſtici* ſeu Hierarchiae fuſe pertexuit *M. Antonius de Dominis* in Republica Eccleſiaſtica: adde ſcripta de Poteſtate Papae *Roberti Bellarmini*, & contra Bellarminum *Guilielmi Barclaii*, & ipſius regis magnae Britanniae *Iacobi*, cui ſe oppoſuit *Matthaeus Tortus* perſonatus ſcriptor pro Bellarmino, quem excepit edita pro rege Tortura Torti: addantur varii ſcriptores de Hierarchia Eccleſiaſtica romano-catholicis; item qui ſcripſere de Libertate & Privilegiis Eccleſiae Gallicanae, quorum poſſet texi catalogus ingens; item qui pro Ludovico Bavaro imperatore contra poteſtatem pontificum ſcripſere, *Marſilius Patavinus*, *Guilielmus Occam*, aliique quorum reliquias in unum volumen collegit *Melchior Goldaſtus*. *Hiſtoria pontificum* exſtat *Platinae*, *Onuphrii Panvinii*, *Stellae*, *Dieterichii* &c. Huc pertinet *hiſtoria cardinalium*, & prodiit ſane nuper de Cardinalibus commentarius: exſtat & tractatus *Freinshemii*, in quo ventilatur quaeſtio praecedentiae inter ſac. rom. imperii electores, & cardinales. *Epiſcopatuum*, mo-

monaſteriorum, *templorum*, aliorumque quae poſterioribus eccleſiae temporibus invaluerunt, hiſtoria collecta eſt a *Rud. Hoſpiniano* reformato in libris de Origine Templorum & Monaſteriorum: cui iungi poteſt *Himmelius* de Canonicatibus, & Hiſtoria Academiarum *Ioh. Middendorpii*, *Lanſii*, *Limnaei*: quo pertinet *hiſtoria theologiae ſcholaſticae*, quam in Prolegom. ad Petr. Lombardum perſtrinxit *Lambertus Danaeus*. Poſſem hic longum catalogum eorum texere, qui variorum Ordinum in ſpecie annales ſcripſere, v. g. minoritarum, dominicanorum, ciſtercienſium, carmelitarum, auguſtinianorum, carthuſianorum, minimorum, ſocietatis Ieſu &c., ſi neceſſaria eſſet iuriſconſulto ſpecialis horum cognitio. Societatis tamen Ieſu hiſtoria in primis digna legi, ea maxime, quae Romae in folio prodiit, & toties continuatur, quoties aliquis Generalis deceſſit: item Bibliotheca Societatis Ieſu, quam edidit *Phil. Alegambius*. Ita igitur *hiſtoriam eccleſiaſticam* abſolvimus iuriſconſulto politicove hodierno accurate cognoſcendam, ne plebis more imperito zelo rapiatur; ſed ut, cognitis omnium opinionum principiis, poſſit ſine affectu defaecata mente iudicare: multum enim negotiis civilibus religionis tractatio immiſcetur. Plerumque autem in ſingulis hiſtoriae eccleſiaſticae capitibus, ex omnibus religionibus in imperio approbatis auctores adduximus, ne quis ab adverſae partis homine ſibi imponi vereatur.

§. 39. *Hiſtoriam eccleſiaſticam* ad intelligendum ius canonicum ſequitur *hiſtoria rerum germanicarum* ſeu *medii aevi*, ad intelligendum ius feudale. Huc pertinent plurimi illi minuti ſcri-

ſtores, quales *Otto Friſingenſis*, *Abbas Urſpergenſis*, *Adamus Bremenſis*, *Albertus Stadenſis*, *Gobelinus Perſona*, *Luitprandus*, *Guntherus in Ligurino*, *Sigebertus Gemblacenſis*, *Saxo-Grammaticus*, aliique paſſim a *Simone Schardio* aliiſque in tomis Rerum Germanicarum editi. Nil dicam de iis, quos in Anglia eruit *Seldenus*, quos in Polonia recenſuit *Starovolſcius* in Hecatontade Scriptorum Polonicorum. Nec inutiliter accedent Chronica, *Lehmanni* Spirenſe, *Kyriandri* Trevirenſe, *Nic. Serarii* Moguntinum; item Annales Danici *Ioh. Iſ. Pontani*, & omnino Res Septemtrionales *Olai Magni*, res islandicae deſcriptae per *Ionam Arngrin*, res anglicae per *Cambdenum*, ſcoticae per *Buchananum*, hibernicae in edita non ita pridem Lyra Hybernica, gallicae per *Paullum Aemilium*, *Ioh. Tilium*, *Serranum* in Inventario, hiſpanicae per *Marianam*, luſitanicae per *Oſorium*, bohemicae per *Dubravium*, polonicae per *Cromerum*, miſnicae per *Fabricium Chemnicenſem*, friſicae per *Ubbonem Emmium*, vveſtphalicae nuper per *Ioh. Iuſtum Winckelmannum*, belgicae per *Ant. Thyſium*, ſileſicae per *Curaeum*, charinthiacae per *Megiſerum*, auſtriacae per *Cuſpinianum* & *Gerhardum a Rhoo*, helveticae per *Stumpfium*, Slavicae per *Helmoldum*, venetae per *Bembum*, ſiculae per *Fazellum*, ſuevicae per *Cruſium*, bavaricae per *Aventinum*, ungaricae per *Ortelium* & *Nadaſtii* Florum ungaricum: omnes congerere nihil opus. Addantur, quod res germanicas attinet, ſcripta *Freheri*, *Goldaſti*, *Meybomii*, *Lindenbrogii*, *Conringii*, & *Beſoldi*. Addantur, qui de originibus feudorum ſcripſere, in primis *Cuiacius* & *Hottomannus*, *Hottomanni*

item

item Franco-Gallia, multique alii gloriae numquam intermoriturae viri; item lexica germanica, de quibus in *iurisprudentia exegetica* infra.

§. 40. *Hiſtoriam* medii *aevi* ad intelligendum ius feudale ſequitur *hiſtoria hodierna* ad intelligendum ius publicum. *Hodiernam* autem appello, quae proximum & praeſens ſaeculum decimumſextum & decimumſeptimum complectitur. Superioris ſaeculi res plerumque religioni involutae ſunt: eas deſcripſere *Sleidanus*, & aemuli *Sleidani*, *Gennepius*, & *Laurentius Surius*. Huc pertinet *Cochlaei* apud romano-catholicos, & *Matheſii* apud auguſtanae confeſſionis ſocios Hiſtoria Lutheri, Epiſtolae *Eraſmi*, item *Philippi Melanchthonis* non ſine fructu legendae; fuit enim vir ille pacis amantiſſimus; *Chytraei* Hiſtoria Auguſtanae Confeſſionis, *Hoſpiniani* Concordia Diſcors, & contra *Hutteri* Concordia Concors, Hiſtoria Concilii Tridentini *Petri Suavis Polani*, id eſt *Pauli Sarpii veneti*, de qua iudicium ſuum expoſuit auctor diſſertat. de Tribus Hiſtoricis Concilii Tridentini. Inſtar omnium eſt *Iac. Aug. Thuanus*, vir veterum laudibus nihil ceſſurus, Livius noſtri aevi, in ſtupendo Hiſtoriarum volumine: In rebus belgicis excellit *Em. a Meteren*, & nulli veterum virtute ſecundus, Tacitus noſtri ſaeculi, *Hugo Grotius* in Annalibus Belgicis. Bellum cyprium a federatis cum Turca geſtum deſcripſit *Petr. Bizarcus*. Noſtro ſaeculo legendus eſt *Grammondus*, & de bello germanico *Caraffa* in Germania Sacra Reſtaurata, & brevis ſed elegantiſſimus auctor Compendii Rerum Germanicarum anonymus, qui a primis bohemicis initiis ad

Lipſiam uſque a Torſtenſohnio captam pervenit; nec praetereundus *Bogeslavus a Chemnitz*, ſi verum hoc eius nomen eſt, qui fuse res germanicas explicuit. *Grammondi* quaedam de proximis temporibus adhuc premuntur, ut audio, edenda quum periculum abfuerit: commendatur & hiſtoria horum temporum *Vict. Syri*. Nihil dicam de Theatro, nihil de Diario Europaeo, vaſtis operibus ſemperque creſcentibus. Vigilandum vero in primis eſt in colligendis ſcriptis publicis varia occaſione prodeuntibus, manifeſtis, paſquillis, aliisque, ex quibus ſingularis rerum cognitio hauriri poteſt. Talia collegit *Horſtlederus* in libro *von Urſachen des Kriegs in Deutschland* (a), *Lundorpius* in Actis Publicis nuper recuſis, eiusque continuator *Meyerus*. In primis quoties controverſiae iuris publici ſcriptis editis ventilatae ſunt, danda iurisconſulto opera eſt ut potiatur, quales cauſsae tutelae palatinae, donavverdenſis, brunſuicenſis, erfordienſis, vvildſangiatus, iuris coronandi inter Moguntinum & Colonienſem, aliaeque publice celebratae: conſulantur, quae nuper cl. vir *Ioh. Th. Sprengerus* de Praetenſionibus Illuſtribus, & alias iuri publico illuſtrando compoſuit. Etſi autem & *Dominicus Arumaeus* & *Ioh. Limnaeus* de Iure Publico grandibus libris diſſeruerint; tam multa tamen aliena immiſcuere, ille ex iure privato, hic ex hiſtoria & philologia, ut ego non dubitem, quin omnia, quae re vera iuris publici ſunt, ex iis in brevem libellum contrahi poſſint. Unde molior Compendium Iuris Publici ex Arumaeo & Limnaeo, nihil ſuperflui admiſſurum, nihil neceſſarii omiſſurum. In-

(a) *cagioni delle guerre di Allemagna*.

Interea *Lampadius* legatur, in quem Notas egregii viri *Herm. Conringii* dudum exſpectamus. Prae *Hippolyti a Lapide* de Ratione Status famoſo prope in domum auſtriacam libello legatur commentarius de Ratione Status cl. viri *Ioh. Wolffg. Textoris*, & *Stephani de Monzambano* nuperrimus, ambo lectu digni.

§. 41. Hoc loco operae pretium eſſet conſcribi *hiſtoriam irenicam* a primis ſchiſmatis initiis ad noſtra uſque tempora. Tentarunt enim conciliationem *Eraſmus Roterodamus*, *Phil. Melanchthon*, *Mart. Bucerus*, *Iulius Pflug* epiſcopus numburgenſis, ceterique, quorum conſilio, bono ſane ſi ſucceſſum habuiſſet, *interim* confectum eſt. Inde concordiam moliti ſunt, rationesque eius ineundae partim ediderunt *Georg. Caſſander*, *Georg. VVicelius*, *Andreas Fricius Modrevius*, *Cardinalis Lotharingius* in Colloquio Poſſiaceno cum *Theod. Beza* recenſente Thuano, deinde *Iac. Acontius* in libro de Stratagematis Satanae, *Marcus Antonius de Dominis*, *Pareus* in Irenico, ipſe *Thuanus* in praefatione Hiſtoriarum, *Grotius*, *Calixtus* in helmeſtadienſi, *Dreierus* in regiomontana Academia, auctor, ſed minime ferendus Irenici Irenicorum cum *Comenio* velitatus, *Ioh. Duraeus* ſcotus, *Ioh. Matthaei* Epiſcopus ſuecus in Ramo Olivae Septemtrionalis, denique proxime Collocutores Rintelenſes & Pacificatores Marchici. Hi, ut iterum dicam, propterea iuriſconſulto cognoſcendi ſunt neceſſario; ut diſcat diſtinguere controverſias, deſinatque in alios ob qualemcumque opinionis, vel caerimoniarum diſſenſum fulminare.

§. 42. A *iuriſprudentia hiſtorica* pergo ad

exegeticam: nam etſi *exegetica* quodammodo *hiſtorica* ſit, enarrat enim, quis de facto ſenſus fuerit legislatoris; tamen, quia latiſſime fuſa eſt, merito ſeparatim tractatur. Duplex autem eſt, alia *ex textu*, alia *ad textum*. Illa ex variis textibus ſimul, non ordine textuum, ſed alio aliquo colligitur; haec κατὰ πόδα (a) ad ipſos textus accommodatur, librisque immediate alligata eſt. Illa pertinet ad *philologiam iuris* ad imitationem Philologiae Sacrae *Sal. Glaſſii*, haec ad *commentarios iuris*.

§. 43. *Philologia iuris* conſiſtit in applicatione diſciplinarum ad iurisprudentiam, & dividitur in *grammaticam*, *didacticam*, *rhetoricam* (quo pertinet & *poetica*), *hiſtoriam*, *ethico-politicam*, *logico-metaphyſicam*, *phyſicam* denique *legalem*; de quibus pluribus in noſtro Specimine Quaeſtionum Philoſophicarum ex Iure collectarum: add. cl. viri *Chriſt. Woldenbergii* iurisconſulti roſtochienſis Manipulos Iuris. Si cogitata nobis exſequi licuerit, cuius rei tunc ſpecimen dedimus, totam aliquando tentabimus elaborare, ac titulo Philologiae ac Philoſophiae Legalis in medium producere; quam in rem multa non vulgaria a nobis ſunt obſervata.

§. 44. *Grammatica legalis* ante omnia requirit *concordantias iuridicas:* ea enim in parte hactenus theologi iurisconſultos vicerunt; nolim tamen rem ad eam nimietatem, qua theologi ipſi nunc laborant, excreſcere. Poſſent & theologicae & iuridicae concordantiae eſſe portatiles, ſi obſervarentur tantum loca inſigniora, & in iis uſus vocis ſingularior; quid enim opus omnia penitus ſimilia colligere? obſervetur autem

(a) *pedem non diſcedendo*.

tem vocis 1) *ſignificatio*, 2) *derivatio*, 3) *appoſita*, quando ſubſtantiva coniunguntur; v. g. voces *vis* & *poteſtas* ſaepe coniungi obſervatum eſt, ut in definitione tutelae vulgo adnotant, 4) *epitheta*, 6) *conſtructio* vel *declinatio*, v. g. *vis* in genitivo apud iuriſconſultos uſurpatur huius *vis*. Sunt igitur hae *iuris concordantiae* nihil aliud, quam index verborum.

§. 45. Has ſequitur *lexicon iuridicum*, quod refert ea quoque ad vocem, quae in libris legum reperta ad eam pertinent, etſi non nominetur v. g. quoties vocabuli ſynonymia vel periphraſis, non ipſum vocabulum ponitur: hoc non poteſt in *concordantias*, ſed in *lexicon* ſub illud vocabulum referri: huc pertinent & homonymiae ex variis legum locis colligendae. *Lexicon* etiam non ad ſolos iuris libros reſtrictum eſt, ſed per omne interpretum genus volitat, uſumque vocabulorum ex iis obſervat; quia hodie communis doctorum modernorum opinio magis ſaepe in decidendis controverſiis, quam vetus Romanorum lex, valet. *Lexicon* autem *iuridicum* non tam opus eſt novum conſici, quam augeri vetera, qualia ſunt *Oldendorpii*, *Schardii*, *Calvini*, *Speidelii* latina, ex quibus ſequens ut plurimum praecedentem exſcripſit, auctoque parum eius labore, minime laudanda ambitione ſuum nomen indidit; deinde *Wehneri* in Obſervationibus, *Beſoldi* in Theſauro Practico, *Speidelii* in Notabilibus, germanica: *Speidelius* vero ceterorum ſupplementis auctus, titulo Speculi, in folio prodiit: *Beſoldum* quoque cl. *Dietherrus* revidendum augendumque Noribergae nunc ſub manibus habet. Quumque voces in his Lexicis occurrentes ut plurimum

ſint aut germanicae, aut barbarae ex germanicis in latinas detortae; hinc legendi qui de germanicis vocibus commentati ſunt, quales *Ioh. Goropius Becanus* in variis operibus, *Ioh. Iſaacus Pontanus* in Originibus, *Schottelius in der Deutſchen Sprachkunſt* (a), multique alii *Schottelio* citati. Voces latino-barbaras collegit *Gerh. Ioh. Voſſius* in opere de Vitiis Sermonis, graeco-barbaras *Meurſius* in Gloſſario.

§. 46. Sunt & alia *grammatica* ex iure obſervanda, v. g. orthographia legalis *Olingeri* prodiit; & pretium operae eſt conſiderare rationem ſcribendi in Pandectis florentinis mire diligentem & accuratam, & retinentem antiquitatis: nec praetereundae notae veterum, quarum hinc inde fragmenta ſuperſunt: memini, videre me peculiare veteris cuiuſdam auctoris de Notis opuſculum: addatur & *Iuſti Lipſii* elegans de Notis epiſtola, ac ſuper eam Comm. *Meiſneri* in Miſnia rectoris: nec negligendae ſingulares quaedam in iure loquendi rationes examinatae a *Laur. Valla*, defenſae a *Budaeo*: priſcianismos quin etiam iuris obſervare ſibi viſus eſt *Ant. Matthaei* in Collegio Fundamentorum Iuris: nec abludunt ab hoc loco derivationes quaedam iuridicae ridiculae, v. g. *Varronis* de fundo, qui mitti poſſit funda, *Accurſii* de irenarchis, quod iram arceant, neſcio cuius ex ſchiſmaticorum grege de ecclesia laterana, quae dicatur quaſi latens rana, quam ibi Nero evomuerit, &c.

§. 47. Nec contemnenda ad *rhetoricam* colligi ex iurisconſultis veteribus poſſent; quemadmodum enim de *tropis Scripturae* ſcripſit

Barth.

(a) *nella Gramatica tedeſca*.

Barth. Weſthemerus, ita de *tropis legum* neminem adhuc ſcripſiſſe miror, niſi quod cl. *Woldenbergius* quaſdam iuris metaphoras, adagia, verſuſque gloſſae collegit. *Formulas* etiam ex iure operae pretium eſſet colligi, v. g. inchoandi, finiendi, increpandi, refutandi, laudandi. Ita poſſet iurisconſultus in ſcribendo, ſtilo legum uti, quemadmodum theologi ſacro, quod eſſet ei ornamentum inſigne. Huc pertinerent *adagia iuris* (vid. *Dn. Brandes* id admonentem in tract. de Vera Iurisprudentiae ſpecimen dedit Dn. *Woldenbergius*) quemadmodum *adagia ſacra* ſcripſit *Martinus Del-Rio* & *Zehnerus*, *adagia patrum Aloyſ. Novarinus*. De *charactere* etiam ſeu forma orationis in legibus multa non contemnenda dici poſſent, quae alia eſt in Digeſtis & Conſtitutionibus imperatorum veterum, & alia prolixior longe & loquacior in Conſtitutionibus imperatorum graecorum: unde inſignes viri ſaepe latentem ſub veterum iuriſconſultorum nomine Tribonianum, praeminentibus velut arcadici pecoris auribus, ſtili iudicio deprehenderunt. Ad *poeticas* h. l. obſervationes pertinent verſus caſuales, ſeu qui auctoribus praeter opinionem excidere. Tales nonnullos ex iure *Bachmannus* & *Helvicus* obſervavere in Poetica Gieſſenſi, *Gothofredus* quoque nonnumquam in Notis, *Barthius* in Adverſariis, & *Voſſius* in Inſtitutionibus Oratoriis.

§. 48. *Didactica iuridica* eſt haec ipſa quam nunc ſcribimus, in qua methodus diſponendi, docendi, diſcendi iuris explicatur: quo pertinent variorum reperta mnemonica, vel per verſus, v. g. Memoriale Iuridicum *Buckſylberi*, vel per figuras picturaſque. Quidam virginem com-

commenti ſunt vario ornatu, per cuius lacinias & mundum muliebrem tituli iuris concordantes iuſto ordine diffundebantur. Fuit & qui aſini figura omnes iuris materias repraeſentare conatus eſt: poſſes hanc vere pontem aſinorum dicere. Sed tutiſſimum mnemonicae genus eſt methodus ſolida & accurata. Pertinent ad *didacticam* & *gradus legum*: qua in re prodiit non ita pridem opuſculum Heidelbergae mira diligentia concinnatum, cuius auctor, perlectis expenſisque legibus, omnes totius corporis in 5. *gradus* diſtribuit neceſſitatis & utilitatis. qui labor mire poterit iuvare eum, qui iuris corpus perlecturus eſt; habet enim in illo libello δακτυλοδείκτων (*a*) utiliorum & maxime neceſſariorum. Operae pretium eſſet, ſi in nova aliqua editione corporis iuridici pro ſingulis *gradibus* certa legibus ſigna adderentur; ita haberet lector uno obtutu, quid quando ſibi legendum vel tranſiliendum eſſet. Add. catalogum legum difficiliorum, &, ut ipſe vocat, Candidatoriarum in Manipulis cl. *Woldenbergii*.

§. 49. *Hiſtoria legalis* dudum praelibata eſt (§.29.), ubi occaſione hiſtoriae externae, quae magis requiſitum quam pars iurisprudentiae eſt, internam quoque praeoccupavimus: hoc tamen loco addenda, quae ad *exegeticam* pertinent, cohaerentia legum in Digeſtis apud ſuos auctores, quam ope τῶν ἐπιγραφῶν (*b*) magno ſtudio in Indice ſuo concinnavit *Iac. Labittus*, cuius opera effectum eſt, ut *Paullum*, *Ulpianum*, *Caium*, *Modeſtinum* non laceratos, ſed con-

(a) *indicem*, (b) *titulorum*.

continuos habere nobis videamur. Quattuor uſus per exempla demonſtravit *Labittus*: potiſſimus eſt, quod cognita hac ratione *συναφείᾳ* (a) textus, lex legem explicet, & *ἐναντιοφωνίαι* (b) tollantur Pertinet & ad *hiſtoriam legum* Catalogus Abrogatorum *Bigonii*, & *ἁμαρτήματα μνημονικὰ* (c) multis inſignibus viris non vitata; qualia in tit. de Orig. Iur. nonnulla admiſit Pomponius, aut potius, quod volebat Hottomannus, ſub eius nomine Tribonianus.

§. 50. *Ethica* & *politica legalis* ſequitur, qua de re *Olingerus* in Ethica Legali, *Vincentius Turturetus* in Parallelis Ethico-iuridicis, *Ad Keller* in Offic. Iurid. Polit. *Bodenſteinius* in Iuriſprudentia Politica. Multa etiam ad ethicam politicamque pertinentia in ſuo Commiſſario requiſivit & explicuit *Rutgerus Rulant*: *Iacobus Gothofredus* quoque in ſuo Manuali per totum iuris corpus axiomata quaedam magnam partem ethico-politica collegit, quibus ordo tantum certus ſyſtematicus facili negotio addendus deeſt: add. ſententias echico-politicas in cl. *Woldenbergii* Manipulis. *Phyſica* vero iuris fuſe explicata eſt in *Paulli Zacchiae* Quaeſtionibus Medico-legalibus, & *Ioh. Bapt. Codronchii* Methodo Teſtificandi in Quaeſtionibus Medico Oblatis. *Geometriae iuridicae* ſpecimen dedimus in ratione reddenda l. ult, D. fin. regund. Specim. Quaeſt. Philoſ. ex Iur. quaeſt. 3. *Arithmeticae iuridicae* copioſa in legibus eſt meſſis: addatur *Budaeus* de aſſe, & *Ioh. Bapt. Coſta* tr. de Quota & Rata, & nos in Arte Com-

(a) *connexione*. (b) *diſſonantiae*.
(c) *lapſus memoriae*.

Combinatoria, problem. 3. n. 16.

§. 51. Sed *logica* in primis & *metaphyſica iuris* omittenda non eſt, ſeu regulae quaedam philoſophicae in iure obtinentes, quas regulis iuris vulgo male immiſcent. In regulis talibus ſtudium poſuere auctores plurimi, *logicarum iuridicarum*, *Fr. Hottomannus* in Inſtitutionibus Dialecticis, *Ioh: Th. Freigius* in Logica Iuriſconſultorum, *Mart. Schickardus* in Logica Iuridica, *Nic. Vigelius*; *Matth. Stephani*, & *Dan. Otto* in Dialecticis Iuris, *Nic. Everhardus* in Locis Argumentorum Legalibus, & *Georg. Adamus Brunerus* in Synopſi Topicorum Everhardi, *Ioh. a Felde* in manuſcriptis Notis ad Topica Ariſtotelis, ubi cunctas fere in illis regulas longe ſupra millenarium numerum excreſcentes, ſelectis exemplis iuridicis illuſtrat: dignum opus, cui ab auctoris manu ultima lima accedat, & typis publicis digna veſtis. Hi igitur ex profeſſo regulis philoſophicis ex iure abſtrahendis operam dedere. Idem obiter ac paſſim fecere barbari illius aevi iuriſconſulti in ſuis ad leges commentariis, quorum non minima pars erat regularum generalium ex lege eliciendarum cura, adeo ut ad extremum nimia ac paene ſuperſtitioſa eſſet. Quid barbarius, quam ex L. Barbarius. D. de Offic. Praet. exculpere regulam, *quod error communis faciat ius*? Non tamen ob hos naevos veterum nobis regularum & brocardicorum ſtudium plane abiiciendum eſt, quod *Iac. Cuiacius* & *Claudius Cantiuncula* nimio vehementius ſuaſerunt. Ad hanc *logicam iuris* pertinent iuriſconſultorum rationes definiendi, dividendi, caſus formandi per artem combinatoriam, quae *Iac. Gothofredo* in Manuali

nuali Artis Caſuandi nomine veniunt; *Paullo Buſio* Subtilitates Iuris: item legum παροράματα (a) logica & petitiones principii, quarum aliquas peculiari diſſertatione Collegio Fundamentorum inſerta collegit *Ant. Matthaei.* Obſervavimus & ſyllogiſmos eorum nonnullos in forma peccantes. Huc pertinet & methodus in qualibet materia tractanda ſeu titulo obſervata, quae in Digeſtis ſatis bona eſt, in Codice nulla; ibi enim Tribonianus non rerum, ſed temporum ſequutus eſt ordinem.

§. 52. Ad hanc *logicam iuridicam* pertinet & *conciliatio antinomiarum.* Hic vexatiſſima quaeſtio, *denturne in iure antinomiae?* De quo ego non magis dubito, quam de veritate horatianae ſententiae,

Atque opere in magno fas eſt obrepere ſomnum; praeſertim quum plures operis ſocios non iiſdem ſemper credibile ſit conſiliis uſos. Immo quicumq; veſtigia iuris veteris in Digeſtis ſupereſſe tradunt, eo ipſo admittunt antinomias; volebat enim Iuſtinianus, & profitebatur Tribonianus vetera omnia ſublata. Quid dicam de contrariis inter ſe iurisconſultorum ſectis? Et ſunt leges quaedam, ubi in terminis unus alium diſſentientem allegat, cuius deinde diſſenſus alio in Digeſtis loco expreſse reperitur. Idem cl. iurisconſulti docent ab aliis longo agmine introducti: ſolius ſacrae Scripturae eſt ſibi ubique conſtare. *Ars ſolvendi antinomias* conſiſtit in eo; ut tueamur, aliud ſubiectum vel praedicatum eſſe in hac, aliud in illa lege vel propoſitione, vel utrumque eſſe idem. Quibus autem modis probari Ari-

(a) *lapſus per negligentiam.*

Ariſtoteles diverſitatem & identitatem poſſe oſtendit, tot modis ſolvi poſſunt antinomiae: quod nos in peculiari commentario de Arte Solvendi Antinomias plenius oſtendemus. Antinomias porro iuris nobiliſſimas iam olim plerasque gloſſatores veteres ante aut circa Accurſium collegere: non ita multae a poſterioribus iurisconſultis inventae & ſuperadditae ſunt, ſed contra conciliatio ſolida ut plurimum recentius reperta eſt. Accurſius conciliationibus abundat, ſed incertiſſimis, quod ipſe perpetuo illo ſuo; *vel dic*, fatetur. Sed magni illi iurisprudentiae reſtauratores *Duarenus*, *Cuiacius*, *Hottomannus* gordios hoſce nodos plerosque ſecuerunt: ex quorum ſcriptis conciliationes in unum collegere *Hub. Giphanius*, *Pacius* Centur. ἐναντιοφανειῶν (a), *Nicol. a Salis* in Sicilimentis Iuris, *Nic. de Paſſeribus* in ſuo illo libro, ubi ſe iactat antinomias omnes ſolviſſe, & reliqua ignobilior turba. Nos deſideramus brevem antinomiarum recenſionem vix quattuor plagulis conſtantem; ubi addatur una ſolum primaria ſolidaque ſolutio, allegeturque eius primus inventor; aut ſi inſolubilis antinomia eſt, id quoque magni alicuius viri auctoritate breviter admoneatur. Tale breviuſculum opus, ſed diſcentibus utiliſſimum, quum otium erit, Antinomici Minoris titulo moliemur; Maior enim eſt, qui fuſe varias auctorum ſolutiones, rationeſque earum ac difficultates enarrat.

§. 53. *Philologiam ac philoſophiam legum* abſolvimus tamquam interpretationis praeliminaria: ſequitur *Interpretatio legum* ipſa, quae eſt vel *ſimultanea*, unius legis cum alia, vel *ſolitaria*, cuiuslibet pro ſe. *Simultanea* eſt, quando

(a) *diſſonantiarum.*

do vel *ſeries legum* oſtenditur, vel *ſumma*, vel *paratitla* conficiuntur. *Series legum* haberi non poteſt, niſi habita *ſerie titulorum*. *Series titulorum* a multis adumbrata eſt in ſuis oeconomiis iuris, ut a *VVeſenbecio* & *Giphanio*; tabellis uſus eſt *VVilh. Schmuccius* in Nervoſa Synopſi Iuris Civilis & Canonici, quum ceteri plerique poſterius neglexerint. Ex recentioribus laudantur tum tabulae clariſs. viri *Ioh. Ottonis Thaboris*, tum ſeries titulorum iuris civilis inſerta egregio Manuali *Iac. Gothofredi*, ubi ille plurimos nodos ex hiſtoria & Edicti Perpetui ordine diſſolvit. *Series legum* cuiuslibet tituli in Digeſtis & Decreto ad certam aliquam ex re ſumtam rationem, atque ita ad tabulas reduci poteſt; quod non patiuntur Codex & Decretales, in quibus temporum ordine reſcripta locantur. Sed nec illic quiſquam huc proceſſit, ut ipſas leges in tabulas redigeret: qua in re theologorum diligentia victi ſumus, qui tabellas & analyſes ſuas ad ipſos uſque verſiculos produxere.

§. 54. *Seriem Summa* ſequitur, quae eſt vel *univerſalis*, vel *particularis*. *Univerſalis* omnium iuris librorum, nempe Pandectarum, Codicis, Novellarum, Iuris Feudalis, Pontificii, Receſſuum Imperii ſimul. Hanc voco Inſtitutiones Iuris Univerſi, quae in eo differunt ab Elementis Iuris (§. 22. *ſeqq.*) deſcriptis, quod hic etiam abrogata & vetus ius breviter recenſetur, quod & in ſuis Inſtitutionibus fecit *Iuſtinianus*; illic tantum uſu recepta hodierno. Methodus interim eadem eſto, quae Elementorum; quod perpetuo obſervandum cenſuimus, ne methodorum varietate diſcentes turbentur. Iuris Univerſi Inſtitutiones qui hactenus compoſuerit, non recordor.

§. 55.

§. 55. *Summa particularis* eſt vel *librorum* ſeu operum, vel *titulorum*. *Summa librorum* eſt varia pro librorum iuris varietate. Compendium Inſtitutionum Iuſtinianearum elegans praemittitur in corpore iuris *Gothofredi:* ſed quum ordinem titulorum legumque ſervet, legum potius in Inſtitutionibus, quam ipſarum Inſtitutionum *ſumma* dici debet. Digeſta & Codicem ſeparatis aphoriſmis egregie contraxit *Arnoldus Corvinus* v. cl. Ius noviſſimum ſeu Novellarum in unum collectum eſt per *Gudelinum*. Inſtitutiones Iuris Canonici confectae primum a *Lancelloto* privato ſtudio, a cuius morte, accedente approbatione publica, inſertae ſunt corpori canonico. Exſtant & Inſtitutiones Iuris Canonici *M. Ant. Cucchi*, & Aphoriſmi Iur. Canonici eiuſdem *Arn. Corvini*. Inſtitutiones Iuris Feudalis dedit omnium optime *Herm. Vulteius*, quas ipſas iterum ſub finem in breviſſimam ſynopſin contraxit. Deſiderantur adhuc Inſtitutiones Iuris Caeſarei, ſeu compendium receſſuum imperii ordinationiſque cameralis &c. Deſiderantur item Inſtitutiones Iuris Saxonici methodice ex corpore iuris ſaxonico collectae, in quibus conficiendis tamdiu ceſſatum eſſe, ſemper miratus; ſed quia dum alius alium exſpectat, intermittunt omnes; nos propediem, ſi Deus adiuverit, tum Caeſarei, tum Saxonici Iuris Inſtitutiones moliemur, niſi interim aptior aliquis praevenerit. Interea pro iure caeſareo legi poſſunt, in primis quod proceſſum attinet, Pandectae Camerales *Rodingeri*, pro ſaxonico vero *Geo. Schulzii* Synopſis Inſtitutionum Iuſtinianearum, quibus loca parallela ex iure ſaxonico adiecit.

§. 56.

§. 56. *Summa titulorum*, quae in gloſſato corpore reperitur, & manca & ſuperflua & inordinata eſt: quemadmodum & gothofredea ſuperflua & inordinata, dum legum in titulo ordinem perſequitur; manca, dum ponit tantum terminos ſimplices, non totam propoſitionem. Optimae in hunc finem ſunt *Iulii Bacii a Beriga* Analyſes, nuper in Belgio auctiores recuſae. Nos ſpecimen tituli contracti dabimus tum ex Digeſtis & Codice, tum ex Novellis. Talis *titulorum ſumma* omnium maxime neceſſaria eſt in Codice & Novellis, in quibus conſtitutiones a ſequioribus Imperatoribus confectae; nam garrulitate, longis prooemiis, & neſcio quibus rhetoricationibus, lectorem non detinent modo, ſed & confundunt.

§. 57. Ex Digeſtis placuit tit. 3. lib. 3. de Procuratoribus, & Defenſoribus diffuſus per leges 78. breviſſimo ſermonis genere ſcriptus: nos tamen, univerſalia abſtrahendo, ſic contraximus, ut omnes tituli leges ex noſtris regulis liceat derivare. *Procurator* eſt, qui alterius conſentientis negotia adminiſtrare conſenſit. In primis autem h. l. ſermo erit de *iudiciali*. *Dare* eum poteſt, cui ſuis rebus praeeſſe iure licet (*l.*8.33. 35. *§.*1. *l.*43. *§.*1.). *Dari*, qui non prohibetur (*l.* 43. *pr.* *§.*1.). *Prohibetur* in litibus miles, niſi agat nomine ſui numeri vel in rem ſuam (*l.* 8. *§.* 3.), femina, niſi pro parentibus in caſu neceſſitatis (*l.* 41.), duplex pro uno (*l.*31.*§.* 1. 2. *l.*33.), unus pro pluribus in ea cauſſa adverſis (*l.*43. *§.*6.). *Conſtituitur* mandato domini (*l.*27. 47.) cum conſenſu procuratoris (*l.*1. *§.*2. *l.*3. 5. 6. 7. 8.*§.*1.), vel litis conteſtatione, poſt quam ſera eſt exceptio procura-

 toria

toria (*l.*8. §.3. *l.*40. §.3. *l.*57. §.1.), *in cauſſis civilibus* omnibus, niſi exceptis: exceptae ſunt actio popularis, quando privatim agentis non intereſt (*l.*42. 45. §.1. *l.* 74.), & plerumque famoſa (*l.*39. §. 7.). Oritur hinc 1) *obligatio procuratoris* erga dominum mandati (*l.*42.) ad adminiſtrandum (*l.*15.), & quae conſequutus eſt ex hac cauſſa reſtituendum (*l.*46. §. 4.), erga adverſarium ad ſuſcipiendum iudicium, ſi conſentiente ipſo dominus cavit iudicatum ſolvi (*l.* 8. §.3. *l.* 17.); niſi utrobique neceſſitate (*d. l.* 8. §. 3. *l.*9. 19. 21.), vel maiore utilitate ſua (*l.*10. 20.), vel inimicitia cum domino (*l.*14.21.), vel dignitate (*l.*8. §.3.), vel praeſentia domini liberetur (*l.* 10.11.), niſi & his caſibus periculum ſit in mora (*l.*12.): tenetur & adverſario iudicati, ſi in rem ſuam egit, ſi ſe obtulit ſciens cautum non eſſe (*l.*61.). Oritur hinc 2) *obligatio adverſarii*, ut cum procuratore, velut domino, iudicio congrediatur (vide tamen *l.*29. 43. §.5.), ſi, quum pro actore eſt, de rato caveat (*l.*39. §. 1.), niſi ſit ex liberis, parentibus, fratribus, affinibus, libertis (*l.*35. *pr. l.*40. §.4.), aut dominus rata ſe habiturum geſta eius teſtetur (*l.* 65.); aut ſi pro reo, iudicatum ſolvi (*l.*39. §.4.). Porro mandatum ad finem continet *media neceſſaria* (*l.* 36.62.), non tamen generale tranſactionem (*l.*60.). Oritur hinc quoque *obligatio adverſarii vel fideiuſſorum* erga dominum, ut utilem in eos actionem habeat (*l.* 27.§.2. *l.*28.); niſi procurator ſit in rem ſuam (*l.*36.). Oritur hinc 3) *obligatio principalis erga procuratorem* mandati (*l.*42. 46. §. 5 6.), niſi procurator qui non eſt in rem ſuam ex neceſſitate (*l.*33. §.5. *l.* 34. adde *l.*79.) defendere recuſavit (*l.*33.§ 4.

*l.*55.

l. 55. *pr.* §. 2. in primis *l.* 43. §. 4.) : *Defendere* poteſt quivis(*l.*34.§.2.),convenibilis facile (*l.*54.), cum tuto effectu (*l.*51.) abſentem (*d. l.*34. §. 2. *l.*64.), ſi de rato caveat (*l.*39. §. 7. *l.* 40. §. 2. *l.*76.), & ſatisdet iudicatum ſolvi (*l.*28. 46. §.2. *l.*53. 76.); poſterius ſi fecit, etiam cogitur defendere (*l.*43.§.5.), niſi talis intercedat cauſsa, quae alias a procuratore liberat (*l.* 43. §.6. *l.*44.) : defendere autem eſt eamdem vicem cum reo ſubire (*l.*35. §. 3. *l.*51. §.1.). *Finitur procuratio* excuſationibus procuratoris, de quibus ſupra; a domino vero libere ante litem conteſtatam (*l.*16.), tum aliis modis, tum ſi alium poſtea, vel ſimul in ſolidum praevenientem dedit (*l.*31.§.1.*l.*32.); lite conteſtata non niſi decreto praetoris, ob eas cauſsas quibus alias ſe procurator excuſat; item ob ſuſpicionem(*l.*17.*ſeqq.* uſque ad *l.* 27.) : plane autem removere procuratorem non poteſt, ſi in rem ſuam eſt, vel retentionis iure utitur (*l.* 25.).

§. 58. Ex Codice delegimus titulum 50. *lib.* 6. de Caducis Tollendis, & rerum difficultate, & multiloquentia Iuſtiniani oneratum. Huius nucleum (reliqua enim verborum ſunt cortices) ſic extraximus. *Si relicta a defuncto* (§.14.) *deficiant*, id eſt, fiant impoſſibilia, morte nempe honorati, vel defectu conditionis; nam quae ab initio ſeu tempore teſtamenti conditi talia ſunt, pro non ſcriptis habentur : ſit hoc vel vivo teſtatore, quae olim *in cauſa caduci* eſſe, vel mortuo, antequam dies relicti cedat, quae proprie *caduca* dicebantur : iure veteri dies cedebat non niſi apertis tabulis (haec ex §.2.); aſt Iuſtinianus conſtituit, ut morte teſtatoris, niſi quod in diem incertam relicta, cedant exſi-

ſtente demum die (§.7.). *Hereditas* eorum qui ſui non ſunt (§.5.) & libertates (§.6.) *aditione*, quam Iuſtinianus & ante apertas tabulas admiſit (§.1.). Ceterum iure veteri lege Papia Poppaea ſub Auguſto *caduca* redigebantur in fiſcum, exhauſto bellis aerario (*pr.*§.1.): ſed Iuſtinianus, quae *pro non ſcriptis*, *in cauſsa caduci*, & *caduca* dicebantur, omnia iuſſit ad ſubſtitutum vel coniunctum venire (§.3. 4.5.); ad ſubſtitutum & verbis coniunctum & coheredem cum onere (§.11.) perſonae non affixo, ſed vicarii patiente (§.9.), ad coheredem vero & neceſſario ſi coheres eſſe velit, & pro portione non ut alias virili (§. 11.), ſed hereditatis (§. 10.); ad re coniunctum ſine onere (§.11.), ſed praefertur ei verbis coniunctus (§.10.). His deficientibus manent apud eum, a quo relicta ſunt (§.8.); & hoc quoque deficiente, demum cedunt fiſco (§. 13.).

§. 59. Ex Novellis contraximus terſiam de Monachis. *Monachus* eſſe quivis poteſt, ſi triennium in monaſterio fuerit ſine veſtitu laicus, ut appareat an ipſi monaſterium, & contra, placeat: ſed ſervum ob ſcelera in monaſterium fugitivum dominus retrahere hoc tempore poteſt (*c.*2.). Triennio elapſo monachus *eſſe incipit*, & bona, quae quis tum habuit, fiunt monaſterii (*c.*6.), ita tamen ut quarta ad liberos perveniat. (*c.* 5.). *Monaſterium* aedificatum ſic conſecrabitur: Epiſcopus tollat manus ad caelum, locumque oratione & ſigno crucis conſecret (*c.*1.). Monachi coenobiorum unum habeant *cenaculum* & *dormitorium* (*c.* 3.). *Abbas* ex monachorum grege ab epiſcopo eligatur (*c.* 9.). Monachus *eſſe deſinit*, qui voluntarie redit in ſae-

ſaeculum; ſed poenae loco inter officiales iudicis provinciae ſtatuetur (*c.6.*): item qui uxorem ducit, quod ei licet, qui cantoris & lectoris gradum non exceſſit; ſed poenae loco ab officiis & militia excludetur (*c.8.*). *Tranſitus* autem de monaſterio in monaſterium plane prohibetur (*c. 17.*).

§. 60. Paratitla ſunt ſyſtema legum ad eamdem materiam pertinentium ex variis titulis contractarum. Talia *paratitla* non habent ſummae rationem, ſed ipſis interdum legum libris magnitudine non cedunt; ſuntque aut *univerſalia*, aut *particularia. univerſalia* ſunt, quae ex toto corpore iuris ſunt, qualia pauca eſſe arbitror. Omnium tamen maxime quadrant huc *Hug. Donelli* Commentarii Iuris Civilis, & *Nic. Vigelii* Methodus Iuris Civilis, utiliſſimus liber & ordinatiſſimus. *Particularia paratitla* ſunt *VVeſembecii*, *Cuiacii* ſuper Digeſta & Codicem ſeparatim, & diligentiſſimum *Meieri* Collegium Argentoratenſe ſuper Digeſta tantum, quod tamen non minimam partem Vigelii vitula exaratum eſt. In Codicem habemus *Pereſium*. VVeſembecio *Bachovius*, *Habniusque* ſupplementa adduxerunt. Nolo enumerare innumerorum prope ſimiles curas; quia eos tantum nominare certum eſt, quibus utendum ſuaſerim.

§.61. Sequitur *interpretatio ſolitaria* ipſius textus, cuiuslibet pro ſe, ſeu commentarii. Tales ad Inſtituta ſunt innumerabiles vel freto danico ſternendo ſuffecturi: commendantur *Hottomannus*, *Balduinus*, *Bachovius*, *Vinnius*, *Ludvvellus*; ſed ſi verum amamus, recte *Cuiacius*, Inſtitutiones vix interprete indigere, niſi breviuſculo marginali & mere textuali adnotatore; quemadmodum

parvula editione tum *Criſpini* & *Pacii* , tum etiam *Arnoldi Vinnii* factum eſt .

§. 62. Super Digeſta Codicemque habemus grandes commentarios veterum , *Bartoli* , *Baldi* , *Iaſonis* , *Decii* &c. , in quorum ſtercore multa latent aurea ſagaci ingenio eruenda. Reſtaurata eruditione prodiere adnotata *Budaei* , *Zaſii* , *Duareni* ad plerasque leges. *Cuiacius* alia via collegit in unum unius alicuius iurisconſulti reſponſa , & ſuper eum commentatus eſt , ut ſuper Paullum , Papinianum , Modeſtinum &c. Poſteriores raro ſunt textuales , ſed vel *paratitlis vel controverſiis* exercentur , niſi quod nuperrime Dn. *Brunnemannus* v. cl. egregio diligentiae exemplo omnes Codicis leges ordine eſt perſequutus , idemque in Digeſta promittit. Ceterum effecit diligentia *Dion. Gothofredi* , viri immenſorum in romanam iurisprudentiam meritorum , quod de eo elogium eſt *Caſp. Barthii*), ut commentariis novis textualibus vix indigeamus: ille enim pleraque tum gloſſatorum commentatorumque veterum , tum eruditiſſimorum ſuperioris aevi hominum obſervata mirabili diligentia congeſſit. Unde non tam decebat novos commentarios cudi , quam ſupplementa mitti Gothofredo ex iurisconſultis in primis huius ſaeculi , quod & in batava editione corporis Gothofredi factum titulus promittit. Sed nec illud laudo , quod aliorum obſervationes novis Gothofredi inferuntur editionibus ; ita enim aut priores fiunt inutiles , aut poſterior habenti priorem non emitur. Decebat potius , ad imitationem Florum Sparſorum *Hug. Grotii* , ſeparatim , velut ſupplementa Gothofredi , ordine textuum imprimi , quae in eo non exſtent. Antequam hinc abeam, ob-

obſervandum eſt, quum in ceteris theologi nos vicerint, Dion. Gothofredum effeciſſe, ut aliquando ſaltem ſuperiores ſimus: neque enim tales perpetuas marginales ad Scripturam notas tam plenas ſimul & breves umquam habuerunt. Incepit aliquid in Nov. Teſt. *Walaeus*, ſed multum a fine abeſt. Sed contra habent illi *Biblia numerata*, ex quibus in primis manuſcripta dorſcheana in multorum hodie manibus verſantur: nos vero *leges numeratas*, id eſt, in quibus ſingulis adnotentur auctores, qui eam legem, vel titulum, vel librum explicuerunt, nondum habemus; niſi quod magnus vir Dn. *Marci*, cancellarius martisburgenſis, & ſenior ſcabinatus lipſienſis, *codicem numeratum* poſſidet.

§. 63. Interpretatio autem alicuius textus eſt vel *realis*, vel *textualis*. *Realis* eſt, quae elicit certas propoſitiones ex lege, easque abſolute tractat, *probando & obiiciendo*, *obiectionesque ſolvendo*, ſi ita videtur; illic legem offenſive, hic defenſive propugnant. *Probatio* fit per *auctoritates* & *rationes*. *Auctoritates* ſunt leges aliae ſeu loca parallela, item opiniones doctorum, tamquam auctoritates univerſales: particulares ſunt hiſtoriae, ſeu res iudicatae in variis dicaſteriis, quo pertinent & conſilia. *Obiectio* fit iisdem modis; leges autem obſtantes in ſpecie conſtituunt antinomiam. *Rationes* utrobique pro & contra variae ſunt.

§. 64. Interpretatio textualis eſt *κατὰ πόδα* (a) ad legis verba; & vel *totalis* ad totam legem, vel *partialis* ad ſingula verba. *Totalis* agit de connexione legis cum aliis legibus, ſum-

(a) *omnino accedendo*.

ſumma & partitione legis, de auctore & hiſtoria legis, & occaſione qua lata eſt. quo pertinet *inſcriptio* & *ſubſcriptio*, quarum illa auctorem; haec locum & tempus complectitur. Ad hiſtoriam pertinet & enarrare, quid ea lege profectum ſit, quamdiu duraverit, quid alioqui circa eam notabile acciderit, quomodo aliquis veterator ea callide ſit abuſus. quo pertinent alia memorabilia: v. g. ubi in legibus recenſentur tria iuris praecepta, *honeſte vivere*, *neminem laedere*, *ſuum cuique tribuere*, adnotari poteſt acutum illud dictum Barclaii in Euphormione, *moliri ſe*, ille ait, *catalogum legum abrogatarum, in quibus has tres primo loco poſiturus ſit*: item ubi in legibus dicitur, *licere ſervo in corpus ſuum ſaevire*, ex quo nonnulli probare volunt autochiriam iure romano eſſe licitam; ibi adnotari poteſt, inſignem aliquem virum Noribergae non multis ab hinc annis theologo moerorem ſuum melancholicum ſolanti obieciſſe textum hunc, & licentiam αὐτοχειρίας (a) probare voluiſſe, quumque theologus nihil ad textum reſponderet, ſed aliud iure divino & naturali dictari diceret; confirmatus ille in ſententia, mortem ſibi paullo poſt conſcivit.

§. 65. Et haec de *interpretatione totali*. *Partialis* conſiſtit *in textu conſtituendo*, & *conſtitutum explicando*. *Conſtitutio textus* abſolvitur variis lectionibus, & arte critica in ſpecie ſic dicta; de qua inſignis exſtat commentatio *Scioppii*, in qua regulae traditae ſunt conſtituendi textus. *Conſtituti explicatio* eſt vel per aliam linguam neceſſario ſeu verſionem, vel per quamlibet. Verſio legum noſtrarum graeca ad interpre-

(a) *caedis ſui ipſius*.

pretationem multum facit; graeci enim paraphraſtae & ſcholiaſtae vetuſtiora noſtris exemplaria habuere, hiſtoriaſque legum accuratius pernovere: unde verſio Inſtitutionum *Theophili* valde commendatur. *Baſilica* vero ſunt graeca quaedam reliqui iuris verſio; ut de Novellis nihil dicam, quarum textus originalis eſt graecus, ex quibus collectae ſunt Authenticae per *Irnerium*, ut vulgo putant; ſed contrarium oſtendit magnus iuriſconſultus Dn. *Ioh. Strauchius* in diſſ. Irnerius non Errans; quam *Wiſembechii* Erroribus Irnerii oppoſuit. Germanicam iuris verſionem dudum moliti ſunt egregii viri, & promovit valde inſtitutum Erneſtus princeps Saxo-Gothanus, pietate ac prudentia inclytus: difficilis labor, in primis in Digeſtis ob inimitabilem prope ſtili in tanta ſimplicitate brevitatem. Sed quoties velociſſimos hiſtoricorum eoſdemque acutiſſimos ſententiis Salluſtium ac Tacitum, non incommode Germanos factos cogito; apparet rem vaſtam magis quam arduam eſſe, praeſertim quum terminos iuridicos latinos pleroſque ſatis bene germanicis expreſſerint Speculum vetus Saxonicum & Suevicum, Receſſus Imperii, & hodiernus curiarum ſtilus. Et ſcio in celeberrimis quibuſdam dicaſteriis ſtudio caveri, ne qua ſententiis vox latina inſeratur.

§. 66. *Interpretatio per linguam quamlibet*, ſive eamdem ſive diverſam, vel ſenſum explicat, & dicitur *paraphraſis*, vel artes dicendi ad verba applicat, & dicitur *analyſis*. *Paraphraſis* ita ſe habet ad orationem, uti definitio ad vocem; neque enim ad *paraphraſin* ſufficit, ut fiat per verba ſynonyma, niſi fiat per clario-

ra

ra. huc pertinet inter alia *caſus formatio*, ob quam *Accurſius* merito commendatur. Ceterum praecepta verum ſenſum eruendi (hic enim potiſſimus eſt *exegeticae iuriſprudentiae* finis), diffuſa ſunt admodum, de quibus diligentiſſime *Iuſtus Brauen* in Commonefactione Logica per *Gerh. Boddenium*, & *Bernard. Goſmannum*, Roſtochiae edita; ubi ſub ſpecie tradendae logicae nihil aliud, quam ars hermeneutica, ſpecialiſſime, ſed breviter nimis ac ſine exemplorum luce diducitur. De eadem re accurate admodum auctor anonymus arminianus, ut videtur, in Philoſophia Scripturae Interprete nuper in Belgio edita. Nec ſpernenda, quae *Steph. de Phedericis* in lib. de Ratione Interpretandi Leges, & *Alciatus* in libris de Verborum Sign. tradidere. Conſulentur quoq; non inutiliter *Rhetores*, ubi de genere iudiciali περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας; περὶ ἀντινομίας (a), aliiſque locis affinibus, docent.

§. 67. Mihi breviter hermeneuticae totius fons ſic aperiri poſſe videtur. *Paraphraſis*, ut diximus; eſt ita ad orationem, uti definitio ad vocem. Ad faciendam igitur *paraphraſin* ſeu ad interpretandum, ponantur primum omnium vocum definitiones: quumque una vox poſſit eſſe homonyma, ſeu habere definitiones varias; tentetur cum quibus combinari poſſit; ſeu quot fieri poſſint combinationes definitionum in unam *paraphraſin* utiles, ſeu quarum ſingulae poſſibiles ſunt; inutiles reiiciantur. Ut vero hactenus retentis verae eligantur, fiat porro combinatio cum verbis antecedentibus & conſequentibus, locis parallelis, hiſtoria, loco, tem-

(a) *de litt. & ſent., de legum inter ſe repugnantia*.

tempore, ratione; quia in dubio auctor, niſi alia id probent; praeſumitur non erraſſe: & ſi auctor eſt ſacer, certum eſt eam interpretationem reiiciendam, quae cum ratione & hiſtoria, ſeu cum veritate pugnat. Fiat item, & quamprimum quidem, applicatio ad mentem auctoris, affectus, ingenium, voluntatem: v. g. *prudens non praeſumitur ineptum aliquod & fruſtraneum, neque exitum habens, in teſtamento conſtituiſſe:* unde ſemper actus interpretandus, ut valeat potius, quam infirmetur. Item interdum mens eſt auctoris obſcure loqui, explicate interdum: obſcure v. g. dedita opera loquebantur oracula, veteres pythagorici, auctores aenigmatum, philoſophi chymici: quoties hi explicandi ſunt, fugiendus ſenſus obvius. Attendatur item ad accentum loquentis, manum ſcribentis. Quod ſi vero his complicationibus fiat, ut nulla denique *paraphraſium* tolerari poſſit; ibi neceſſe eſt tranſponi litteras, & quaecumque ſunt artis ſteganographicae vel cryptographicae praecepta obſervari, an corruptus ſit textus vel diſtinctio; an non voces traiiciendae, an non aliquae omiſſae vel ſuperfluae; adhibendique alii tropi ſeu immutationes probabiles & poſſibiles non iam dictionis, ſed orationis. Quod ſi iam nulla *paraphraſis* ſeu ſenſus eſt tolerabilis, oratio dicitur obſcura; ſi vero multae ſimul, ambigua: plerumque tamen una aliqua ex combinationum cum circumſtantiis capite eſt probabilior. Ex quo patet breviter, fontem hermeneuticum eſſe duplicem, 1) *combinationem variarum cuiuſque dictionis, phraſeos, commatis, periodi inter ſe & cum circumſtantiis*; ut appareat, quae poſſibilis,

&

& ſi plures poſſibiles, quae probabilior: 2) *ſi vero nulla tolerabilis ſignificatio illa combinatione emergat, levem ac probabilem immutationem ſeu tropum orationis interpretandae.*

§. 68. *Analyſis* eſt applicatio regularum alicuius ex artibus dicendi ad orationem praeſentem; eſtque *grammatica*, *rhetorica*, *logica*. *Grammatica* voces in ſe, earum orthographiam, proſodiam, etymologiam, ſyntaxin, diſtinctiones ad ſyntaxin pertinentes, eiuſque velut ſigna, uti accentus ſigna ſunt proſodiae, perſequitur. Voces autem in ſe quum conſiderat, enarrat earum ſignificationem, derivationem, appoſita, epitheta, oppoſita, ſynonyma, periphraſes (vid. ſupra §. 43. 44. 45.). *Analyſis rhetorica* eſt troporum dictionis, orationis ſchematum, omniumque, de quibus ſupra (§.46.), motorum item affectuum. *Analyſis logica* eſt occurrentium definitionum, diviſionum, propoſitionum, ſyllogiſmorum, ordinis, & ſingulorum non ſolum ratione inventionis ſeu locorum, ex quibus ſumta ſunt, ſed & ratione iudicii ſeu maximarum, ad quas exigenda ſunt, conſideratio. Non mirandum eſt, hic quaedam recurriſſe ſupra in philologia iuris monita; quia illic ex variis textibus colliguntur, hic ad unum textum adnotantur. Quemadmodum in Antinomico colliguntur omnes antinomiae, in ſingulis tamen textibus fuſius & ſeparatim ſolvendae, ut ex illo in textum ſaltem digitus intendi poſſit. Et ita in univerſum in philologia iuris & philoſophia aequum eſt loca legum ſaltem allegari & colligi, non vero ſingula fuſe tractari, quod ipſi textui reſervandum.

§. 69.

§. 69. Ita omnes *interpretationis* fontes breviter, ſed dilucide, ut ſpero, & profunde (claritate enim & altitudine fontes commendantur; magnitudo ex iis vel lacus vel amnes efficit) aperuimus, iiſque, ut ſpero, facem praeluximus, qui philoſophia levius tincti ad textum aliquem explicandum, ut academiarum mos eſt, accedunt; nam vulgare carmen,

Praemitto, ſcindo, ſummo, caſumque figuro,
Perlego, do cauſſas, connoto, & obiicio,

quo in textibus explicandis vulgo utuntur, in noſtram methodum reſolvitur. *Praemitto* pertinet ad interpretationem textualem totalem (§. 63.), *ſcindo* ad analyſin logicam (§. 67.), *ſummo* eſt ſpecies interpretationis ſimultaneae (§. 53. *ſeqq.*), *caſum figuro* ad paraphraſin (§. 65. 66.), *perlego* ad analyſin grammaticam, rhetoricam (§. 67.), *do cauſſas* & *obiicio* ad principalem textus propoſitionem, *connoto* ad ſecundarias ex textu propoſitiones, utrobique interpretatione reali (§. 62.). Nunc admoneamus coronidis loco, quando quibus ex his fontibus utendum ſit: & arbitror *analyſin logicam*, *grammaticam*, *rhetoricam*, tum demum quum aliquod ſingulare & obſervatu dignum occurrit, adhibendam; nam ſpecialior omnium analyſis ad informationem puerorum pertinet, qui vulgaria etiam grammaticae, logicae, rhetoricae praecepta adhuc imbibere debent. Et optandum, ut illi, qui iuriſprudentiae praeparantur, etiam grammaticam, logicam, rhetoricam ex libris iuris diſcerent; theologi ex Bibliis Caſtellionis, libris eccleſiae cuiuslibet symbolicis; medici ex Galeno, Celſo, & recentioribus quoque, quia & illorum ſtilus ſpernendus

dus non eſt. De *interpretatione reali* diſtinguendum: vel enim commentarius ſcribitur ſuper textum tantum, v. g. *Beuſt* ad l. admonendi de Iureiur., *Del Rio* ad l. tranſigere., *Iac. Gothofredi* ad l. Rhodiam de Iactu, *Richteri* ad auth. habita, C. ne Filius pro Patre; quo caſu permiſſum eſt ob inopiam alioqui dicendorum effundere ſe in materiam, quae in textu continetur, eamque abſolute & realiter tractare: talem interpretationem quondam dicebant *ſollemni apparatu* factam: vel commentarius ſcribitur ſuper totum librum, quo caſu propter multitudinem alioqui dicendorum tantum permiſſum eſt propoſitiones ex textu elicere, & controverſias, quae occaſione textus moventur, adnotare. Sed ratione propoſitionum permiſſa eſt tantum probatio per locorum adductionem, & defenſio per locorum obſtantium ſolutionem. Ratione vero tam propoſitionum, quam controverſiarum, licitum eſt interpreti tantum remittere lectorem ad auctores, qui quaeſtionem abſolute & realiter tractarint; exceptis controverſiis de ſenſu legis, quae proprie ad munus interpretis ſpectant, & ab eo accurate ſunt pertractandae. Antinomiae ſolutio fiat ad eam legem, quae inter pugnantes maxime obſcura eſt, & ſedes difficultatis; in altera fiat tantum ad illam remiſſio.

§. 70. Ita tandem *iuriſprudentiae exegeticae* pelagus emenſi ſumus; ſed videmur nobis ad fretum gaditanum perveniſſe, ubi ex mediterraneo mari in oceanum tranſitus panditur: *iurisprudentia* enim *polemica* ita infinitum diffuſa eſt, ut exhauriri non poſſit; novi enim quotidie caſus emergunt. Interea danda iuriſconſulto

ſulto

ſulto opera eſt, ut cognitas ſaltem regiones luſtret, id eſt, caſus iam ventilatos colligat & decidat: ita quum ad nova litora tempeſtate deferetur, id eſt, in novos caſus incidet, ope magnetis, id eſt, iuris naturalis, facile ſe explicabit.

§. 71. Dicemus autem tum de *principiis decidendi*, tum de *collectione deciſionum*. *Principia decidendi* ſunt ratio ex iure naturae, & ſimilitudo ex iure civili certo; nam ſi accurate rem conſideremus, omne ius civile magis facti eſt, quam iuris; quia probandum eſt non ex natura rerum, ſed ex hiſtoria ſeu facto: probandum enim eſt legem eſſe promulgatam, conſuetudinem introductam; deinde probandum etiam eſt, qui legem tulit, eius rei poteſtatem facto & pacto ſibi adquiſiviſſe, unde patet, legem ex conventione populi valere (a) Quumque certi iuris ſit, in iis, ubi pactum non interceſſit, obtinere ius merum; patet in iis caſibus, de quibus lex ſe non declaravit, ſecundum ius naturae eſſe iudicandum; quemadmodum in caſu ceſſantium ſtatutorum iudicatur ſecundum ius commune. Si obſervarent hoc deciſionarii, facilius ſe extricarent: verum illi ad ſimiles potius materias iure civili deciſas reſpiciunt, & ex illis ad has argumentantur, quae res illi magnam perplexitatem parit; ſunt enim plures uni ſimiles, & unus ad hanc, alius ad aliam ſimilitudinem confugit; ideo tutius arbitror, referre ſe ad merum immutabileq; ius naturae. Et perinde mihi videtur, ac ſi quis, quae in ſtatutis paſſim de equorum evictione placuerunt, velit & ad aſinos trahere; ad

(a) *in democratia & ariſtocratia, ex Principis placito in monarchia.*

ad mulos tamen trahi an poſſint, dubium eſt; et puto non poſſe: mulus enim magis eſt aſinus quam equus; quia partus ſequitur ventrem, mater autem eſt aſina. Confugiendum tamen nonnumquam ad alias leges civiles ſimiles, vel *ex verbis*, vel *mente legislatoris*. *Ex verbis*, quando legislator vel *ſemel in univerſum*, vel *in certa materia* declaravit ſe hoc velle. *Semel in univerſum*, v.g. in iure ſaxonico longa conſuetudine dicaſteriorum receptum eſt (qui mos valet pro lege) caſus dubios decidendos potius ad ſimilitudinem aliarum legum ſaxonicarum, quam iuris communis. *In certa materia*, v. g. iure civili cautum eſt, ut quae de viris dicuntur, eadem de feminis intelligantur, niſi ſingularis lex vel ratio impediat. *Ex mente legislatoris*, quoties eadem ratio ſubeſt: v. g. ius ſaxonicum vetus dicit, *der pfaff nehme gerade* (a): quaeritur iam, an canonici ſumant *geradam*, qui proprie non poſſunt dici *pfaffen* (b); quia eos ſacramentum ordinis accipere neceſſe non eſt: & reſpondendum eſt, ſumere illos quoque per rationem legis; quia *gerada* in compenſationem iis data eſt, qui non ſunt capaces ſuppellectilis caſtrenſis, *des heergeraethes* (c), quales ſunt feminae & eccleſiaſticae perſonae; canonicis enim interdictum bellum eſſe inde patet, quia effuſo ſanguine humano contrahitur irregularitas, qua tollitur praebenda. Quum igitur duo ſint *principia decidendi*, ius naturae & lex ſimilis, & a materia una ad aliam valere argumentum, quoties ſiluit legislator, non aliunde

(a) *il prete prende la ſuppellettile*.
(b) *preti*.
(c) *delle ſuppellettili militari*.

de conſtet, quam ex ſimilitudine rationis, ratio autem legis pendeat ex politicae illa parte, quae dicitur nomothetica; apparet iuriſconſulti in dicaſterio ſedentis duos oculos eſſe *ſcientiam iuris naturalis*, & *ſcientiam nomotheticam*: quemadmodum caſus iam tum decili per *hiſtoriam* retro actorum, & *exegeſin* legum cognoſcuntur, de quibus ſupra.

§. 72. *Iuris naturalis* non minutiſſima quaeque, ſed principia tantum perſequemur, eaque primum ex ſententia aliorum, deinde & noſtra. Alii qui circa ius naturae philoſophati ſunt, videntur eſſe hi potiſſimum, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Epicurus*, *Cicero*, & temporibus recentioribus *Hugo Grotius*, *Sfortia Pallavicinus*, *Th. Hobbes*, *Ioh. a Felde*, *Rob. Scharrok*. *Plato* paſſim iuris fundamentum ſtatuit τὸ κοινῇ συμφέρον (a). In libris de Republica Thraſymachus diſputat, iuſtum eſſe potentiori utile. *Ariſtoteles* & cum eo *Stoici* ſtatuere iuris naturae eſſe fundamentum, naturae convenienter vivere; & quidquid naturae rerum, id eſt, ſtatui earum optimo & perfectiſſimo conveniat, id iuſtum eſſe. *Epicurus* ſtatuit iuris naturae eſſe, quidquid mihi revera utile; quidquid nempe producit voluptatem animi & tranquillitatem mentis. *Cicero* in libro de Officiis & alibi, eo in primis utitur fundamento, neminem ſibi ſoli natum, partim patriam, partim parentes, partim amicos ſibi vindicare.

§. 73. Recentiores ita tradunt. *Hugo Grotius*, iuris naturae eſſe, quidquid convenit cum natura ſocietatis ratione utentium, ſeu quidquid cum ſocietate compatibile eſt: ſumit igitur

F

(a) *publicam utilitatem*.

tur quod ab Hobbio negatur, hominem eſſe natura ſocialem. *Sforzia Pallavicinus* in libro eleganti de Bono, poſt multas diſceptationes ita ſtatuit, iuſtum eſſe quidquid naturae placet: naturae autem nomine intelligit principium motus & quietis in mundo, quod neceſſe eſt ſapiens eſſe, quia motus tam pulcher ordinatusque eſt. *Th. Hobbes* in ſubtiliſſimis de Cive Elementis ſic procedit: Statum hominum eſſe vel extra ſuperiorem, vel ſub ſuperiore ſeu in civitate; illic eſſe ius merum omnium in omnia ſeu ius belli: ſed quum ſtatus belli ſit exitioſus, teneri quemlibet ſana ratione duce, ut ſe diſponat ad pacem, ſeu ſtatum in una civitate, quantum in se eſt: conſtituta autem civitate, ſimpliciter iuris eſſe, quidquid civitati placuit, neque aliud ibi naturae ius obtinere. *Ioh. a Felde* in Elementis Iurisprudentiae principia Ariſtotelis reduxit & expolivit. *Rob. Scarrok* in lib. de Officiis ſecundum Ius Naturae ita arbitratur, ſummum bonum cum Epicuro eſſe voluptatem animi; peccata autem ideo ſugienda, quia ſunt contra voluptatem animi, eſſe enim velut verbera incorporalia; unde *κριτήριον* (*a*) iniuſtitiae eſſe, ſi quid animo quodammodo repugnante fiat. Putat igitur, Deum ſic creaſſe animum noſtrum, ut naturalis quaedam inter ipſum, & ea quae peccata dicuntur, ſit *ἀντιπάθεια* (*b*).

§. 74. Hos facile inter se conciliabimus, explicata noſtra ſententia. Scilicet *iuris naturae* tres ſunt gradus, *ius ſtrictum*, *aequitas*, *pietas*; quorum ſequens antecedente perfectior, cumque

(a) *certam regulam.*
(b) *repugnantia ob contrariam affectionem.*

que confirmat, & in caſu pugnantiae ei derogat. *Ius ſtrictum* ſeu *merum* ex terminorum definitione deſcendit, & eſt, ſi recte expendas, nihil aliud quam ius belli & pacis; nam inter perſonam & perſonam tamdiu eſt ius pacis, quamdiu alter non incepit bellum, ſeu laeſit. Inter perſonam autem & rem, quia res non eſt intelligens, perpetuum eſt ius belli; & licet leoni hominem diſcerpere, & monti hominem ruina opprimere; contra homini frenare leonem, perfringere montem: victoria autem perſonae ſuper rem reique captivitas, dicitur poſſeſſio. Poſſeſſio igitur dat perſonae ius in rem iure belli, dummodo res ſit nullius: nam ſi res eſt alicuius, non magis illam laedere aut auferre licet, quam alterius ſervos occidere, aut alterius perfugas recipere. Si igitur alterum alter vel in perſona, vel rebus ſuis laeſit, dat ei ius quod habet in rem, ſeu ius belli. Eſt autem & inter laeſionis ſpecies deceptio pernicioſa, qua damnum datur menti, ex quo deſcendit ſervandorum promiſſorum neceſſitas. Ex quo patet *iuris naturae meri* unicum praeceptum eſſe, *neminem laedere*, ne detur ei ius belli: huc pertinet iuſtitia commutativa, & ius, quod *Grotius* vocat facultatem.

§. 75. *Aequitas* ſeu aequalitas, id eſt, duorum pluriumve ratio vel proportio, conſiſtit in harmonia ſeu congruentia; & coincidit cum principiis *Ariſtotelis*, *Grotii*, & *Feldeni*. Haec requirit, ut in eum qui me laeſit, non bellum internecinum inſtituam, ſed ad reſtitutionem arbitros admitti; quod tibi nolis, alteri non faciendum; item ut puniatur non tam imprudentia, quam dolus & malitia; item ut infir-

mentur contractus ſubtiles, & circumventis ſubveniatur. De cetero *ius ſtrictum* obſervari ipſa *aequitas* iubet. huc pertinent *Hobbii* diſpoſitiones ad pacem. Sed *aequitas* dat ſolum ius laxe dictum, ſeu, *Grotii* ſtilo, aptitudinem uni, alteri vero obligationem plenam: v. g. aequum eſt, ut qui doloſis ſubtilitatibus ſe a meo debito liberavit, mihi nihilominus teneatur: ſed mihi non datur in eum actio perſequendi; actio enim, vel exceptio, vel quaecumque poſtulatio ex *iure mero* deſcendit, niſi aliquid lex addat: ille tamen eſt obligatus, ut mihi det. hinc illud praeceptum, *ſuum cuique tribuere*. Sed lex aut ſuperior dat aequitati exitum, & ex ea nonnumquam actionem vel exceptionem tribuit.

§. 76. Tertium iuris principium eſt voluntas ſuperioris. Et huc quae Traſymachus apud *Platonem* ſupra dicebat, iuſtum eſſe potentiori utile. Superior autem eſt vel natura Deus, eiusque voluntas iterum eſt vel naturalis, hinc pietas, vel lex, hinc ius divinum poſitivum; vel ſuperior eſt pacto & facto, ut homo, hinc ius civile. *Pietas* igitur tertius eſt gradus *iuris naturae*, tribuitque ceteris perfectionem & effectum: nam Deus, quia omniſcius & ſapiens eſt, *ius merum* & *aequitatem* ſtatuit & confirmat; quia omnipotens, exſequitur. hinc coincidit utilitas generis humani, immo decor & harmonia mundi cum voluntate divina. Ex hoc principio iam ne beſtiis quidem & creaturis abuti licet. huc reducuntur meditationes *Sforziae Pallavicini*. Ex hoc fundamento ne ſe ipſo quidem abuti licet, quia nos ipſimet ſumus Dei, cui omnipo-

potentia tribuit ius in omnia. hinc illud praeceptum, *honeſte vivere.* Quumque *ius ſtrictum & aequitas* careat vinculo phyſico, Deus accedens efficit, ut quidquid publice, id eſt, generi humano & mundo utile eſt, idem fiat etiam utile ſingulis; atque ita omne honeſtum ſit utile, & omne turpe damnoſum: quia Deum iuſtis praemia, iniuſtis poenas deſtinaſſe, ex eius ſapientia conſtat; & quae deſtinavit, perfecturum, omnipotentiae ratio evincit. Exſiſtentia igitur entis alicuius ſapientiſſimi & potentiſſimi, ſeu Dei, eſt *iuris naturae* fundamentum ultimum; quae a nobis mathematica certitudine demonſtrata, quum prodibit in publicum, disiectura eſt penitus nebulas ab atheis veritati offuſas.

§. 77. Alter iurisconſulti in caſibus decidendis oculus eſt *nomothesia*, cuius principium utilitas reipublicae, quae ita eſt ad rempublicam, uti *pietas* ad mundum & rempublicam univerſalem. De *nomothesia* praeclare diſſeruere *Hopperus* in Seduardo, *Conringius* tum in praefatione Hopperi, tum in Civili Prudentia & Propolitico. Conſiſtit autem ſalus populi, ſuprema reipublicae lex, in bono ipſorum civium tamquam materiae, & conſervatione regiminis tamquam formae: nam & *Lipſius* duo ait inſpicienda, naturam populi, & naturam regni; quod commendat *Boeclerus* in diſſ. de Politica Lipſiana. Bonum regiminis conſiſtit in iure publico, & tali ceterarum quoque legum formatione, ut mutatio praecaveatur. Bonum civium conſiſtit in *εὐδαιμονίᾳ* (a) & *αὐταρκείᾳ* (b)

 quo-

(a) *bonis animi.*
(b) *bonis fortunae.*

quoniam egeſtas homines non ſolum ridiculos, ut ait Poeta, ſed improbos facit. Ad εὐδαιμονίαν (a) pertinent omnes ordinationes politicae, in primis quibus educatio & converſatio, tamquam principia malorum & bonorum morum, formantur; item praemia virtutibus, poenae vitiis. Ad αὐτάρκειαν (b) pertinent leges de commerciis; manufacturis, ſumtuariae &c. Ad utramque ſimul pertinent leges, quae ius privatum & iudicia formant; nam ſi cuilibet ius ſuum tribuitur, evitantur peccata retinentium, & paupertas amittentium. Danda autem opera, non ſolum ut cuilibet ius ſuum tribuatur, ſed & cito, quo pertinent *ordinationes proceſſus*. In his omnibus praeclarae ſunt meditationes *Octav. Piſani* in Lycurgo, qui docuit, quomodo formata converſatione & educatione in ipſa radice poſſint evelli ſcelera; & quomodo, ſi omnia coram magiſtratu auctoritate publica gerantur, conſignenturque libris publicis, ut Venetiis in banco, poſſint evitari proceſſus. Sed huc perfectionis non veniemus; det tamen iurisconſultus operam, ut ad eam, quantum poteſt, accedat.

§. 78. Hactenus diximus de *principiis decidendi*, dicamus nunc de *collectione deciſionum*, ſeu *controverſiarum*; ubi facilior res dictu eſt, quam in *exegetica*, ſed difficilior factu: nam non tam multa puncta ſunt, nec tam multi conficiendi libri, ſed quo pauciores, tanto grandiores. *Collectio controverſiarum* eſt vel *brevis*, vel *diffuſa*. *Collectio brevis* videamus quomodo fieri debeat, & quomodo facta ſit. Fieri debet

bet

(a) *bona animi, ſeu virtutem.*
(b) *bona fortunae.*

bet libro, qui vocari poteſt Breviarium Controverſiarum; quale eſt in theologicis Manuale *Becani*, aut Breviarium *Hulſemanni*. Breviarii Iuridici videamus *materiam* & *formam*. *Materia* conſiſtit in quaeſtionibus 1) *dubiis*; ita excluditur pars didactica, ea nempe quae legibus expreſſe deciſa ſunt: 2) *iuridicis*; ita excluduntur philologicae, philoſophicae: 3) *hodiernis*; ita excluduntur abrogatae: 4) rariores quoque *pandectis* infra explicandis reſervantur; ponendae enim hic ſunt illuſtriores, diſſenſionibus nobilitatae.

§. 79. *Forma* conſiſtit in *ordine* & *modo tractandi*. *Ordo* ſit idem, qui Elementorum (§. 7. *ſeqq.* uſque ad §. 26.), & Inſtitutionum (§. 54.). *Modus tractandi* conſiſtit *in rationibus dubitandi* & *decidendi*. Utrobique allegentur tantum loca Elementorum & legum, quae vel obſtare, vel pro nobis eſſe videantur: Elementa enim ita comparata eſſe debent more mathematico, ut ex iis omnes quaeſtiones poſſint decidi. Et quemadmodum *Iſaacus Barrovius* in ſua Euclidis editione cantabrigenſi certis ſignis brachygraphicis utitur; ita h. l. ſi argumentum ex textu Elementorum vel legum ſit a ſimili, contrario, cauſſa, effectu, genere, toto, parte, alioque loco topico, pro quolibet ſit certum ſignum: ita qui textum evolvet, & ſignum intuebitur, vim argumenti facile perſpiciet, eoque ipſo ingenium exercebit, nec quidquam brevitas ei officiet. Sed haec aliquando exemplo magis & factis, confecto tali Breviario, quam nunc verbis oſtendemus: V. g. pro loco a contrario eſto ſignum)(, a ſimili ( ), a cauſa O ⊢⊣, ab effectu ⊢⊣ O,

 a ge-

a genere ⌒, a ſpecie ‿, a toto ⌒̲, a parte ‿̄. Et quoties duae leges vel duo loca Elementorum coniuncta demum vim concludendi oſtendunt, ibi poteſt adhiberi ſignum †, v. g. *l.* 20. *D. V. O.* † *l.* 10. *D. de leg.* Ex auctoribus vero citentur ii tantum, qui quaeſtionem praeclare tractarunt, & argumenta pro & contra plurima firmiſſimaque collegerunt; item qui plurimos alios citant.

§. 80. Diximus, quomodo *collectio controverſiarum brevis* fieri debeat; videamus, quomodo facta ſit. Et ſane habemus multorum libros exercitationum, controverſiarum, deciſionum, reſolutionum, quaeſtionum, diſputationum; ſed qui ſcopo noſtro accommodati ſint penitus, ſi verum amamus, nullum: nam ſi quaeſtiones philologicas, v. g. de origine & uſu vocabulorum; hiſtoricas, v. g. de titulis imperatoris Iuſtiniani, de legum auctoribus, tempore, &c.; philoſophicas de definitionum, diviſionum, methodi rectitudine; phyſicas & ad factum pertinentes, v. g. de partu octimeſtri, de notis virginitatis, de purgationibus vulgaribus; item vetuſtate abolitas, quid Iuſtiniani, Theodoſii, Conſtantini aevo in uſu fuerit, demas; ſaepe dimidius liber & ultra ſimul auferetur. Quid autem opus tantopere his rebus occupari, quae ſubſtantiam iuris non ingrediuntur? aut quid opus tantopere abolita iura curare, niſi veremur fortaſſe, ne aliquando, revoluto anno platonico, ſub Arcadio, Honorio, & Iuſtiniano iudices, aſſeſſores, anteceſſores, & advocati fiamus? Quos igitur potiſſimum commendem, non invenio; eligant, ut cuique placet, *Forſterum*, *Sutholt*, *Ludvvel-*

lum, *Treutlerum* curis Bachovii & Hunnii nobilitatum; Reſolutiones ipſius *Hunnii*, *Hackelmanni* Quaeſtiones Illuſtres ad allegandos in primis auctores accommodatas. Nihil de *Arumaeo*, *Fomanno*, *Locamero*, ceteriſque dicam, continua exſcriptione eamdem ſerram reciprocantibus. Ut taceam, eſſe auctores pleroſque mixtos, ut praecepta, exegeſin, hiſtoriam, controverſiasque coniungant, in quibus cl. *Struvii* Syntagma commendatur. In primis vero cl. viri *Ioh. Strauchii* proto-ſyndici h. t. Brunſuicenſes Diſſertationes placent, quibus ille, deſerta methodo iuſtinianea, naturalem ſequutus eſt, & elementa a controverſiis typorum forma ſeparavit. hunc ego cum *Ludwello* ac *Treutlero* maxime ſuaſerim. Nec contemnendus eſt *Schnobelius* velut Treutleri epitomator.

§. 81. *Collectionem Controverſiarum brevem* excipit *diffuſa* & *plena*; eaque iterum tum *qualis facta eſt*, tum *qualis fieri debet*. *Qualis facta ſit*, nimis manifeſtum eſt: huc enim pertinent grandes libri Deciſionum ex variis dicaſteriis, rotis, Parlamentis, v. g. Rotae Romanae, Genuenſis, Senatus Pedemontani, Tholoſani, *Sandaei* Friſicae, *Guil. Grotii* Belgicae, *Molinaei* Conſuetudines Pariſienſes, *Royz* Deciſiones Lithuanicae, *Fabri* Sabaudicae, *Gailii*, *Mynſingeri*, *Gylmanni* Camerales, *Scheplitz* Conſuetudines Marchicae, Deciſiones Facultatis Iuridicae Lipſienſis in *Sigism. Finckelthuſii* Obſervationibus, & Scabinatus Lipſienſis in magni *Carpzovii* Variis: Ienenſium Reſponſa collegit *Richterus*. huc aliarum facultatum academicarum conſilia, tubingenſium, ingolſtadienſium, marpurgenſium, altorphinorum, & conſilia privato-

rum,

rum, *Paulli a Caſtro*, *M. Ant. Nattae*, *Coleri*; *Klockii*, *Weſembecii* iunioris, *Mundii*: & quis omnes fando comprehendat? Sed verum eſt iudicium *Hug. Grotii* praef. lib. de Iur. Bell. ac Pac., auctores Conſiliorum magis ad gratiam conſulentium, quam aequi bonique naturam reſponſa ſua accommodaſſe. Praetereo iam multos alios per omne ius diffuſos, ut opera *Proſperi Farinacii*, *Menoebii* Arbitrarias Iudicum Quaeſtiones; & variorum; communes opiniones, ut *Villalobii*, *Vivii*, eorumque, ex quibus ſuum ius controverſum contraxit *Nic. Vigelius*, unus omnium maxime adhibendus: nec ſpernendus *Petr. Greg. Tholoſanus* in Syntagm. Iur. Univ.

§. 82. In his auctoribus laudabile eſt, quod novos emergentes caſus perpetuae memoriae conſignant, orbemque iuridicum continua auctione locupletant; quod non faciunt auctores exercitationum & commentariorum, ſemper vetera ruminantes: quapropter & practico atque in rerum uſu verſanti, hi parcius legendi, illi diligentiſſime pervolutandi ſunt. Sed deſidero ratione materiae, quod immiſcent etiam caſus pervulgatos atque aliis dudum deciſos, item caſus per ſe manifeſtos, & ex generalium, quae certi iuris ſunt, ſubſumtione mera determinabiles. Deceret potius ad alios auctores tantum ſupplementa addi, ne inutilibus repetitionibus orbis oneretur, aut, ſi quid ab iis diſſentias vel novam aliquam rationem obiectionemque habeas, id quoque admoneri; non omnia denuo exſcribi, ſumtusque typographis & lectoribus ſine neceſſitate conflari. Ratione formae, ordinem illis optarem, qui vel nullus eſſe ſolet, vel non naturalis: nec

nimis

nimis fuſe una quaeſtio tractanda eſt, ut faciunt auctores Conſiliorum, qui ut tanto grandiorem & pretioſiorem, ſi diis placet, laborem ſuum reddant, in omnibus propoſitionibus obiter occurrentibus tamdiu diſtinentur, quam in quaeſtione principali: unde fit, ut in vulgatiſſimis certiſſimiſque axiomatibus, textibus, & auctoritate doctorum ſtipandis deſudent; propoſitionem vero principalem, & maxime controverſam ſaepe ſine ulla probatione relinquant, aut ieiunis frigidiſque tantum ratiunculis topicis, non accuratis demonſtrationibus muniant. quod iam olim admonuere *Corn. Summenbart* in lib. de Contract., & *Thomingius* facultatis iuridicae lipſienſis quondam decanus ordinarius, in ſua oratione de Studio Iuris. Utinam imitarentur illos, quos toties citant & crepant, iurisconſultos veteres, qui pauciſſimis ſaepe lineis magnam argumentorum vim preſſerunt. Ego non dubito, reſponſo aliquo Ulpiani vel Scaevolae vix paginam occupante, noſtros illos bonos deciſionarios ſupra 10. plagulas impleturos. Ab hoc tamen vulgi grege ſeiunxit ſe *Anton. Faber* in Codice Sabaudico, egregieque noſtris hominibus praeluxit facem, quomodo ſolide ſimul breviterque diſputari poſſit. Laudabilis quoque & ad veterum iuriſconſultorum dicendi rationem mos eſt, quo facultates ſcabinatusque ſaxonici, Lipſiae in primis, in ſuis conſiliis germanicis (vocant *informat urtheil* (a)) rationes utrimque ſumma brevitate & nervoſitate ventilant.

§.83. Huc pertinent & tractatus variorum de variis materiis, iiſque vel iuris, v. g. de [illegible] Fidei-

(a) *Informazioni giuridiche.*

Fideicommiſſis *M. Ant. Peregrinus*, de Mutuo *Salmaſius*, de Pignoribus *Neguſantius*, de Pactis *Alexander ab Exea*, de Matrimonio *Th. Sanchez*; vel de terminis facti, ſed ad ius applicatis, ut de Surdis, Mutis *Michalorius*, de Feminis *Carpzovius*, de Molendinis *Hering* &c. Interdum non certum aliquem titulum, ſed aliquid a variis materiis tam iuris quam facti abſtractis tractant, uti *Corſetus* de Geminatione, *Ioh. Bapt. Coſta* de Retrotractione; ut innumeras id genus diſputationes taceam, quales collectae ſunt in tomos Diſputationum Baſileenſium. Tractatus veteres omnes fere collecti ſunt in Tractatum Tractatuum, vaſtum opus aliquoties editum. Additus eſt plenus admodum & diligens index, totum unus volumen abſolvens: ſed deſidero nimias repetitiones, dum non nucleus auctorum inſertus eſt, ſed integri, quum tamen ſaepiſſime incluſi ſint plures auctores de eadem materia, quorum unus pleraque cum altero eadem habet. Recordor me in Tractatu Tractatuum aliquando legiſſe duos de Ludis tractatus, unum *Paridis de Puteo*, alterius nomen non ſuccurrit: horum unus alterum ad verbum exſcripſerat. Ita fit, ut in certis materiis nimis dives ſit opus, in aliis vero pauperrimum. Quare impoſuit *Drexelio*, qui ei perſuaſit, ut ipſe narrat in Aurifodina, hoc opus in iure, aliorum librorum omnium inſtar eſſe. Operae pretium eſſet, ſi reformarentur hi Tractatus Tractatuum, omitterentur aliena, contraherentur varii auctores de iisdem materiis in unum, & adderetur nucleus ex plurimis tractatibus de variis materiis interim hoc in primis ſaeculo editis. Id olim potuiſſet facile

fieri

fieri eadem opera, qua index cum ſummariis contextus eſt: nunc quoque index ad eam rem multum adiumenti praeſtare poteſt. Sunt ſpeciales Tractatus Tractatuum, v. g. Tractatus de Pactis uno volumine editi ſunt, item de Teſtamentis &c. Tractatui Tractatuum Iuridicorum apud theologos quodammodo reſpondent praeter alios celebres Biblia Critica Anglicana, in quibus variorum ſelecti tractatus theologici ad loca Scripturae ſunt collecti. Eſt & aliud opus iuridicum Tractatui Tractatuum non abſimile, quod vocatur Repetentes. Angli, ut audio, moliuntur in philoſophia curioſa ſimile aliquid, quod inſcribent Bibliothecam Philoſophicam; in quam variorum ſcripta philoſophica, phyſica, mechanica, mathematica, curioſa, ſelectis contemplationibus & experimentis plena compingent. Sed ut ad tractatus iuridicos redeam, confectis illis *pandectis iuris*, de quibus mox, poterimus tractatibus facile carere; praeſertim quum in iis ſaepiſſime vix dimidia pars ad ipſam materiam pertineat. Legat mihi aliquis ex. gr. *Th. Sagittarii* de Comitibus Palatinis tractatum; mirabor, ſi decimam partem de propoſita materia agere dicet.

§. 84. Diximus de *collectione controverſiarum diffuſa*, *qu alis facta eſt*; dicamus, *qualis fieri debeat*: ubi iterum videamus tum de praeparatoriis, nempe *repertoriis*; tum de ſyntagmate ipſo, quod dicemus *pandectas iuris*. *Repertoria* ab aliis varia confecta ſunt: quid nobis videatur, ſubiiciamus. Aliorum conatus quod adtinet, exſtat *Brederodii* Repertorium Iuris Civilis, tamquam index legum iuſtinianearum, quem utiliſſimum ſane ad uſum quotidianum miror

non

Digitized by Google

non recudi. Ex doctorum placitis collectum eſt Repertorium *Bertachini*, & Concluſiones Cardinalis *Tuſchi*. Huc pertinent lexica, ut *Speidelii* Theſaurus, *Reigeri* Loci Communes, *Brunori a Sole* cum additionibus *Iac. Schultes*. Huc pertinet Bibliotheca Iuris extruenda magis de novo, quam ab ullo pro dignitate fundata: nam quod olim *Neviſanus*, & *Freymonius* tentarunt, exiguum admodum & mancum eſt. *Bolduani* & *Draudii* Bibliothecae Iuridicae (illius ſeparata, huius in Bibliothecam Claſſicam inſerta) ſunt ex catalogis librorum confectae, ubi multi recenſentur libri, neque editi, neque umquam edendi, ova numquam poſita; *ungelegte eyer* (a), ut ille dicebat. Deinde, quum libros ipſi non adſpicerent, tantum titulos in catalogis, effectum eſt, ut ſaepe, quid in libro tractaretur, non aſſequerentur; ſunt enim tituli librorum haud raro nimis magnifici multumque a materia abludentes. Erant praeterea uterque iurisprudentiae imperiti; unde etſi liber re vera exſtaret, & titulus libro correſponderet, ignorabant tamen, ſub quem titulum in ſua Bibliotheca referrent: unde tutiſſime ſe facturos crediderunt, ſi referrent ſub titulum ab auctore praeſcriptum; ſed revera ineptiſſime egerunt, quia tituli auctorum libris praefixi, ut plurimum ſunt oratorii magis & pompoſi, quam technici & accurati. Optandum igitur eſſet, ut Bibliotheca *Draudii* Claſſica non continuaretur ſolum (pervenit enim ad annum 1625.); ſed & reformaretur. Continuationem eius molitus eſt *Meiſnerus*, Torgaviae rector; ſed reformationem addidiſſe non puto;

(a) *nova non iguſciate.*

puto; mortuus, opus interruptum reliquit. Bibliothecam Practicam promiſit *Iac. Gothofredus* in ſui Manualis partem practicam adhuc edendam inſerturus, ſed nihil aliud, quam promiſit. Miror vero, nullum iurisconſultorum praeſtitiſſe, quod in ſcriptoribus medicis *Ioh. Antonides* Van der Linden, & in Bibliotheca Theologica *Gisb. Voetius*. Promiſit tale aliquid *Paul. Buſius* in praefatione Commentarii ſui ad Pandectas, ſed nec ille fidem ſuam liberavit. Interea aliquid huc faciunt Vitae Iuriſconſultorum Germanorum *Melch. Adami*. Et haec de *bibliothecis iuris*, quibus affines ſunt *ſedes materiarum*: ſolebant enim iurisconſulti ſequioris aevi ad certas leges materiam aliquam plene & ſollemni apparatu tractare; indicem igitur talium habere, operae pretium eſt, ut quaerendi labor abſit. Talis index, ſed nimis brevis, inſertus eſt Inſtitutionibus *Iulii Criſpini*, plenior ordine alphabetico in cl. *VVoldenbergii* Manipulis. Deceret ſimilem indicem apud philoſophos condi, ut haec obiter dicam, ut conſtet, ad quae loca *Ariſtotelis*, *Magiſtri*, & *Thomae*, quae quaeſtiones a commentatoribus ex profeſſo tractentur. reſpondent proportione Loca Claſſica theologorum. Haec poſſent in allegando ſingulari aliquo charactere vel nota ad differentiam, tam apud theologos quam iuriſconſultos, deſignari.

§. 85. De *repertoriis* vidimus aliorum conatus; dicamus, quid nobis videatur de *locis communibus iuris inſtituendis*: de quorum videamus *cauſa efficiente*, *modo cauſandi*, *materia*, *forma*, *fine* ſeu uſu vel effectu. Differunt alioqui de locis communibus praeclare *Bartholomaeus Keckermannus*, ſed maxime in ordine ad poli-

Digitized by Google

politicam. *Cauſſa efficiens* eſſe debet ſocietas aliqua ex multis correſpondentibus conflata; neque enim unius hominis opus eſt. Quemadmodum igitur in Italia conſpirant academiae, ſeu collegia eruditorum, de quibus vide *Sachſium* in praefatione Ampelographiae, & *Beſoldum* in diſſ. de Univerſitatibus, Corporibus, Academiis; in Gallia celebre eſt collegium illud nobile aliquantiſper ſilens, nunc redivivum, *de l' eſprit*; in Anglia collegium londinenſe medicorum, & nobilis illa Societas Britannica, cui primarii quique totius regni eruditiſſimique viri interſunt, ex qua nuperrime prodiit *R. Hooke* micrographia, ſeu de rebus non nudo, ſed armato per microſcopium viſu ſpectabilibus; in Germania collegium medicorum naturae curioſorum, nomine *curioſo* illi gallico, cuius meditationes in germanicum nuper verſae, conſonans. Ita decebat & iurisconſultos per Germaniam, praeſertim qui in academiis otio fruuntur, ad rem tam praeclaram, qualis eſt index iuris univerſalis, ſeu *loci communes iuris*, conſpirare; neque enim facile creditu eſt, quantum coniunctae vires poſſint. Hinc romano catholicis praeclara edendi, magna commoditas eſt in libro enim, qui unius hominis nomine prodit, ſaepe laborant tota monaſteria. Ita *Dav. Doringius* Bibliothecam Iuris Univerſalem laudabili magis voluntate quam facto molitus, variorum manibus uſus eſt ſed ultra litteram A non pervenit in ſuo alphabeto.

§. 86. *Modus cauſſandi* in eo conſiſtit, qua ratione labor inter eos diſtribuendus ſit. Quidam ſtatuere materias alias adſignandas, unum debere

bere omnia colligere, quae ad tutelam & curam, alium, quae ad hereditates ab inteſtato, alium, quae ad ſubſtitutiones pertinent &c: nam ita & olim moris fuiſſe in Italia, ut quidam doctor in certa aliqua materia excelleret, in aliis eſſet plane infans: quemadmodum de quodam narrant, qui omnes pernoverit ſubſtitutionum difficultates, in ceteris haeſerit. Et deceret hodie quoque, ut in academiis profeſſores non ratione librorum iuris, ſed ratione materiarum diſtribuerentur: alius haberet materiam ſucceſſionum, alius iuris inter vivos, alius criminalia, feudalia, eccleſiaſtica quaſi ſemi-publica, alius proceſſum, alius denique inſtitutiones ſeu ſynopſin omnium. Ego, quod ad rationem diſtribuendi profeſſiones, non reprehendo, nam & medici ſic diſtribuere; ſed in locis communibus colligendis obſtare iudico, quod ita ſingulis collectoribus pervolutandi ſunt omnes libri. Decet igitur potius, non materias, ſed libros in eos diſtribui, hac ratione, ut aliis adſignentur auctores veteres Bartolus, Iaſon, Alexander, aliis recentiores, aliis theorici, aliis practici, aliis germani, aliis itali, aliis conſilia, aliis dicaſteriorum deciſiones, aliis tractatus, aliis commentarii. Adde, quae ſuaſit *Ianus Caecilius Frey* in Via ad Scientias & Artes.

§. 87. *Materia* ſeu *obiectum* ſunt *auctores*, & quae ex iis *excerpuntur*. *Auctores* adhibeantur ante omnia ii, qui alios ſolent citare, & allegationibus paginas complere: ex iis allegationes transſcribantur, vel ſaltem ad eos fiat remiſſio: denique fiat gradus ad eos, qui libros miſcellaneos ſcribunt, v. g. Obſervatio-

vationes *Cuiacii*, *Salmaſii* ad Ius Romanum & Atticum, *Hottomanni* Quaeſt. Illuſtr., Emendationes *Anton. Auguſtini* &c.; quod enim in his boni reconditum eſt, non facile apud eos quaeritur. Deinde promoveatur pes ad ſcriptores tractatiſtas, & ex iis adnotetur ſub titulum quidem materiae, de qua agunt, nihil aliud, quam nomen auctoris, qui de hac materia ſcripſerit; de cetero nihil excerpatur ad illam materiam pertinens, ſed ea potius, quae aliena interſeruntur. Similiter ex commentatoribus nihil aliud excerpatur, quam ſicubi aliquid ad textum adnotant, quod ad eum non pertinet; de cetero adnotetur ad leges numeratas (de quibus ſup. §. 62.), quis de eo textu in ſpecie ſcripſerit: nam ſi ad totum librum ſcripſerit, ad totius quoque libri frontiſpicium hoc adnotetur.

§. 88. *Forma excerpendi* eſt, ut perlegatur primum auctoris index, vel ſummaria; qui ſi diligens eſt, excerpatur ipſe, & perlegi liber curſorie tantum deinde poteſt; adnotentur auctoris non libri & capita (hoc enim nimium), ſed paginae, dummodo praenotes, qua editione ſis uſus; & poteſt deinde & alius facile obiter ſupputare in ſua editione: in titulis autem maxima diligentia eſt adhibenda, ut accurate adſignentur; ſed bene fieri poterit ex Elementis, ubi in partitionibus termini iuris enarrantur: addatur *Bern. Lavinheta*, monachus ordinis Minorum, in Com. ad Artem Magnam Lullii, ubi terminos iuridicos non inepte recenſet. Ut tamen titulos adſignari denuo neceſſe non ſit, commodiſſimum eſt, dictionarium charta pura diſtingui, & cuilibet voci in

in latere adnotanda adſcribi: porro quoties auctor de materia tota agit, adnotetur locus ad vocem ſimpliciter, v. g. de Dominio; ſin de certo aliquo ſubtitulo, ad illum adnotetur, v. g. de Modis Adquirendi Dominii ſeu Cauſſis; vel denique de certa in aliquo ſubtitulo quaeſtione, v. g. *ſitne donatio modus adquirendi dominii*, & quum formantur tales quaeſtiones, ut plurimum duobus locis fieri debet adnotatio; v. g. iſta proxima adnotari debet ad dominii cauſſam, & ad donationis effectum; ideo ex uno loco ad alium fiat remiſſio, ne idem bis adnotari debeat: quaeſtioni addatur ſignum A. vel N. vel D. ut ſciamus, num auctor affirmet, neget, an dubitet; item ſignum, unde ſciamus, tractetne fuse, accurate &c., quod & admonet *Drexelius* in Aurifodina.

§. 89. *Uſus finis* & *effectus* locorum communium hic eſto. Ubi quilibet penſum abſolverit; fiat deinde collectio in *unum*; ſed ita ut iam fiant tot libri, quot perſonae in conficiendis ipſis *pandectis* adnibebuntur, & quot diſtributiones: quum enim pandectarum confectio fieri debeat ſecundum materiarum diſtributionem, ſit v. g. uni adſignata materia inſtitutionum, alii legatorum, alii codicillorum; ita in unum librum conſcribantur collectanea de legatis, in alium de codicillis &c., & cuilibet ſuum detur, ut, evolutis auctoribus, ex iis nucleum conficiat in pandectas referendum.

§. 90. Syntagma ipſum iuris univerſi ſeu *pandectae* fiant, ut dixi, ex locis communibus, eodem ordine, quo *elementa*, *inſtitutiones*, *breviarium*. Ponantur propoſitiones, quantum fieri poteſt, univerſales, & controverſiae

caſusque tantum ii, qui ſunt dubii: addantur rationes demonſtrativae ex Elementis, &, ſicubi difficilis obiectio eſt, illa ſolvatur, leves omittantur. Si caſus in legibus deciſus eſt, non allegetur alius auctor, niſi ille rationem aliquam egregiam deciſionis afferat, aut obiecta diluat. De cetero in qualibet quaeſtione vel caſu adnotetur unus tantum auctor, qui primus eum attulit ac determinavit; addantur illi tantum, qui novas quasdam rationes de ſuo attulerunt, aut ſolverunt, & allegata quidem addantur margini. Nec erit incommodum, ſi in uno libro *elementa*, *breviarium*, *pandectae* imprimantur, ſed diverſis typis. Talem *pandectarum* librum certus ſum, ſupra duo volumina in folio non impleturum; quia in nulla diſciplina & facultate plus librorum, minus rerum eſt, quam in iurisprudentia, & cumulantur repetitiones in infinitum. Perfectis iam *pandectis* faſtigium impoſitum erit iurisprudentiae; iamq; ſilere cogentur loquaciſſimi illi exſcriptores & conſarcinatores tractatiſtae, quia index horum *pandectarum* inſtar omnium tractatuum erit. Ii tantum audebunt aliquid in iure ſcribere, qui novum aliquem dubium caſum obſervarunt: nam theorica ad *iurisprudentiam exegeticam* & *hiſtoricam* pertinentia proprie ad ius non ſpectant, ideo nec *pandectis* inſerenda. Quicumque autem aliquid in iure, confectis *pandectis*, ſcribet, non repetet quae in *pandectis* continentur, ſed ſupplementa tantum novasque obſervationes emittet. Haec, quae de conficiendis *locis communibus* & *pandectis* diximus, ridebunt illi, qui ignorant, quid diligentia & ordo poſſint: ego vero certus ſum, triginta homi-

nes opus hoc, quantumcumque eſt, triennio abſolvere poſſe. Sed, quod recte in alio argumento ſuaſit *Ianus Caecilius Frey*, incipiatur ab auctoribus vetuſtiſſimis ordine temporum, ut haberi ſemper ac conſecrari memoriae primus inventor poſſit. Niſi vero quamprimum ſuſcipitur negotium, vereor, ne ſuccreſcente quotidie nova ſegete, ita oneretur denique ſuffoceturque inutili librorum mole iurisprudentia, ut facilior nunc labor omnem tandem humanam diligentiam vincat.

§. 91. Delineavimus ideam *iurisprudentiae perfectae*, abſolvimusque, quod difficillimum erat, magnitudinem rei vel votis adſequi; ſequitur, ut *viam graſſandi ad eius adyta* deſignemus. Illic diximus, quae doctori; hic, quae diſcipulo neceſſaria ſint, dicemus. Illic explicata ſunt, quae ad perfectiſſimum iurisconſultum indicaſterio aliquo operae pretium facturum requiruntur; hic enarrabimus, quae ad ponendum tirocinium, & prima boni advocati rudimenta pertinent. Quemadmodum & in Parte Generali didactica primo in idea de ipſis ſubiectis, cauſſis, obiectis ſeu ſpeciebus habitus uſque ad §. 41., in reliquis quattuor paragraphis tanto brevius de ipſa diſcendi ratione usque ad finem ſumus meditati; ita hoc loco imperfectius, methodum nempe diſcendi docendique, prout cuiusque intentio eſt, vel ad ſumma contendendi, vel in ſecundis tertiisque conſiſtendi, reſtat ſub finem explicemus. Toties autem aliquis ſibi praeceptor eſſe poteſt, quoties non admonebimus praeceptore indigere; adhibito tamen manuductore & illa iucundius faciliusque diſcet. Ceterum tria erunt *curricula* huius viae, unum *elementare*, alterum *exe-*

geticum, tertium *polemicum*,

§. 92. Notandum hic, quum certum tempus adſignabimus, 1) non exacte, ſed circiter definiri: 2) hoc eſſe pro mediocribus ingeniis; neque enim tardos ſubſiſtere, neque celeres praevenire veto: 3) non debere aliquem eſſe aſſiduum & accubuum; ſatis erit & plus ſatis, ſi quotidie horae iuri impendantur ad ſummum ſex, cuius duae horae cum praeceptore, ſi quis eſt, duae ruminationi, reliquae duae lectioni volitanti, maxime hiſtoricae, impendantur. *Lectio* autem *hiſtorica*, de qua in poſterum non amplius dicemus, inſtituatur hoc modo: Hiſtoria univerſalis ſtudioſe cognoſcenda eſt, deinde hiſtoria noſtrorum temporum; & haec tempore *curriculi elementaris*; in primis hiſtoria religionis (§. 35. 41.) & dogmatum (§. 37.), imperii, ſtatus rerum publicarum per orbem hoc tempore (§. 40.): quando vero gradus fiet ad compendium librorum authenticorum, ſeu tempore *curriculi exegetici*, legatur diligentius hiſtoria romana (§. 31. 32. 33. 34.): denique quum ad breviarium controverſiarum, ſeu *curriculum polemicum* perventum erit, legatur hiſtoria iuris interna, ſeu leges variarum rerumpublicarum (§. 29.), hiſtoria eccleſiaſtica regiminis (§. 38.), hiſtoria rerum germanicarum, & medii aevi (§. 39.): ita ſingula ſingulis accurate correſpondebunt.

§. 93. Nunc age ad ipſa *curricula* ſtudii iuris progrediamur. *Curriculum elementare* continet *hiſtoriam iuris rudem*, *terminos uſitatiores*, & *praecepta elementaria*. Diximusque ſupra (§. 69.) optandum, ut pueri, qui iurisprudentiae deſtipantur, prima latinitatis rudimenta diſcant ex

libris

libris iuridicis, v. g. inſtitutionibus iuſtinianeis tit. de Origine Iuris, Verborum Significatione, & Regulis Iuris; ſed quum hoc vulgo non fiat, de ordinariis ſaltem dicamus: diximus enim Parte Generali (§. 42.), ab anno 12. usque ad 18. primario exercendos in ea profeſſione, ad quam deſtinantur. Ut autem reliqua ſtudia ibi enumerata ne amittantur, ſtudio iuris, ut (§. 93.) dixi, non dabuntur horae quotidie plures quam quattuor: unde non omnia haec tria curriculi elementaris membra coniungenda, ſed ita ſeparanda ſunt, ut *hiſtoria iuris rudis* ante omnia cognoſcatur ab urbe Roma condita ad noſtra tempora usque deducta, exemplo tituli de Origine Iuris. Poterit haec in tres plagulas contrahi, & ita accurate pernoſci duabus ſeptimanis. Interea in defectum alterius legatur *Iac. Gothofredi & Guil. Forſteri* Hiſtoria; ſed deeſt illis hiſtoria iuris recentis: sic cognoſcet nomina, tempora; auctores & differentias librorum authenticorum. *Libros* autem *authenticos* voco, ut ſemel in univerſum moneam, non tantum leges veteres, ſed & recentes, ut Receſſus Imperii, Corpus Saxonicum, & cuiusque reipublicae ſtatuta vel reformationes.

§. 94. *Hiſtoriam* ſequuntur *termini uſitatiores*; & incredibile eſt, quantum in qualibet diſciplina valeat terminorum cognitio, quos mathematici non immerito praemittunt. Hi quomodo diſpoſiti eſſe debeant per partitiones, diximus (§.7. & 22.): in defectum vero libelli ſic ut optamus confecti, adhibeatur Compedium Iuriſprudentiae *Vulteii* in Belgio forma 12. editum; ſed deſunt hic quoque termini iuris germanici medii & recentioris. Hic praeceptore opus eſt, qui

qui ad meliorem definitionis intellectionem caſum aliquem, eumque maxime notabilem ridiculumve, ex hiſtoriis veris data occaſione confingat: v. g. ad exemplum teſtamenti inter liberos, introducat regem Philippum inter filium Demetrium & Perſea controverſias teſtamento componentem; & ſimiliter de ceteris: nam notae, quo ſenſibiliores ſunt & notabiliores, hoc plus valent ad memoriam (per §. 14. & 23. Part. General.). Nec incommode termini inter diſcentes a praeceptore ſic diſtribuentur, ut unus huius, alius alterius termini hiſtorias memoriter recitare poſſit (§. 13. Part. General.): & quia interrogando excitatur iudicium (v. Praefat., ubi de exemplo Socratis, unde *Ionſionus* in Idea Hygieines collegia interrogatoria commendat), iubeantur ipſi caſus adplicare ad terminos, & contra: detur & opera, ut pro pluribus terminis fiat unus caſus, ut tanto plus connexio memoriam iuvet. His poterunt impendi menſes duo cum dimidio.

§. 95. Poſt *terminos* ſequantur *praecepta elementaria*. Ea quum omittenda ſint, quae ex terminis ipſis manifeſta ſunt, & cuilibet ruſtico patent ſi terminos intelligeret, remanebunt pauca fere in ſollemnitatibus tantum conſiſtentia. Omittendum praeterea eſt ius vetus & abrogatum, ut diximus ſupra (§. 23.); cuius rei ratio reddenda eſt hoc loco: erunt enim fortaſſe nonnulli, qui vulgari modo a Iuſtinianeis Inſtitutionibus incipiendum, deinde ad Digeſta Codicemque progrediendum putabunt; quorum mihi numquam placuit ratio. Sic enim 1) orientur inutiles repetitiones: 2) ſinguli hi libri iuris veteris proprium ordinem habent, hinc

hinc confuſio diſcentium: 3) ſaepe ille ordo eſt ineptiſſimus: 4) illi libri continent multa ab uſu remota; nemo autem alicui latinam linguam traditurus, incipit a fragmentis obſoletis *Ennii* & *Pacuvii*, tametſi tempore priora Cicerone fuerint, & eorum, qui cum iudicio uſum a non uſu ſeparare poſſint, ſtilum iuvent. Immo volunt praeclari quidam docendi maſtri, in latinitate inſtillanda a recentioribus incipiendum, quorum & phraſes & res noſtro aevo commodiores. Fruſtra reſpondent, leges veteres originem hodiernarum eſſe, quae ex illis fluxerint: nam & obſoleta latinitas ciceronianae origo eſt; in diſcendo autem non ſemper natura rerum, ſed commoditas ſpectanda eſt: originem iudicio confirmato deinde facile diſcent. 5) Illi libri ob multa vetuſtatis veſtigia ſtatumque reipublicae a noſtro abhorrentem ſunt difficiliores; hinc 6) confuſio fit iurisprudentiae exegeticae & didacticae, & 7) tiro praeter rerum difficultatem etiam verborum obſcuritate oneratur: 8) immo inferuntur iuventuti falſae opiniones de republica hodierna & regimine romani imperii, ut eumdem cum veteri eſſe arbitrentur ſtatum, nempe monarchicum: in quem errorem lectio iuris veteris, & hodierni ignoratio plurimos iurisconſultos duxit, quod non male conqueritur peſſimus alioquin auctor *Hippolytus a Lapide.* Quem vero librum potiſſimum commendem interim, qui in defectu conficiendorum Elementorum Iuris legatur, quique ius hodiernum methodice breviterque tractaverit, non invenio; magno, neſcio, an pudore meo, an iurisprudentiae dedecore. Porro, ut *praecepta elementaria* hodierna tanto melius retineantur,

tur, detur opera praeceptori inter explicandum, ut cuilibet placito iuris, etiam arbitrario, rationem aſſignet, aut congruentiam quamdam interdum ridiculam excogitet; v. g. teſtes in teſtamento requiri ſeptem, quia ſeptem ſint ſyllabae horum verborum *teſtes. in teſtamento*: talibus utuntur Iudaei in docenda lingua hebraica. Porro tam in definitionibus, quam praeceptis allegentur ad marginem loca legum claſſica; eaque inter docendum evolvantur, ut paullatim aſſueſcant ſtilo legum, & adquirant memoriam in illis localem, promtitudinem evolvendi, & confuſam cognitionem. Cognitis igitur *terminis*, impendentur *praeceptis elementaribus* 3. menſes; & ita *curriculum elementare* anno dimidio abſolvetur.

§. 96. Curriculum exegeticum ſequitur. Sed ne nunc quidem ad ipſorum iuris librorum ordinatam totalemque perlectionem tiro ducendus eſt, antequam combiberit *breviarium controverſiarum*, ſeu *curriculum polemicum* abſolverit; quia alioqui nullo uſu leget, non intelligens, quo quid collimet. Sed ſi controverſias pernoverit, non ſolum ſcopum videbit, ſed & inter legendum, proprio marte nova ab aliis non deprehenſa ipſe, ad huius vel illius controverſiae deciſionem ſpectantia, obſervabit. Ut tamen quoad ſumma rerum capita perinde ſit, ac ſi libros legum authenticos legiſſet; proponantur 1) ſeries titulorum, 2) inſtitutiones iuris univerſi, ſeu compendium librorum authenticorum, 3) antinomiae. Series titulorum per tabulas optime diſcetur imaginando ſibi fortiter methodum Triboniani; et, quantum fieri poteſt, titulos unius libri ſub unum genus commune

mune redigendo (adde ſupra §.52.). Nos certe libros Codicis duodecim verſibus ſic complexi ſumus, unoque ſic cuiuslibet titulos comprehendimus, ut qui hos teneat, facile e veſtigio iudicare poſſit, ad quem librum pertineat quilibet titulus, quum tamen in Codice tam multi ſint unius libri tituli. Series titulorum *Iac. Gothofredi* maxime placet; & poterit menſe abſolvi, dum accedat poſtea evolvendi exercitatio.

§. 97. Inſtitutiones Iuris Univerſi, ſeu compendium librorum authenticorum, quomodo conficiendum ſit, diximus (§.54.). Hoc iam iuris cultori pervolvendum eſt, ut non ſolum, quid iuris ſit, ſed & quid iuris fuerit, diſcat; quorum illud ex Elementis, hoc ex Inſtitutionibus hauriet: Inſtitutionibus enim his, ſeu compendio inferenda erunt & abrogata, quemadmodum in ſuis Inſtitutionibus *Iuſtinianus* ipſe eorum non obliviſcitur. Alleganda ſunt ad marginem & evolvenda loca legum, non ſolum claſſica, ut in Elementis (§.96. *fin.*), ſed omnino omnia ad rem pertinentia, ita tamen, ut claſſica ſingulari ſigno vel charactere dignoſci ceteris poſſint. Pro Inſtitutionibus Iuris Interni in defectum adhiberi poterit Iurisprudentia Romana *Vulteii*, non brevis illa in Belgio forma duodecima edita (de qua §.95.), ſed grandior in forma octava edita Marpurgi, quae munus hoc non incommode implet: quia vero plurima Elementis praeoccupata ſunt, poterunt tribus menſibus abſolvi Inſtitutiones; evolutio enim non in collegio fiet, ſed domi. Praeceptor aliqua tantum loca extra ordinem huic vel illi evolvenda proponat in ipſo collegio, diligentiae excitandae cauſſa.

cauſſa. Antinomiae quomodo in brevem libellum colligendae, quem diximus Antinomicum Minorem, explicatum (§.52.); ſed ſic tractandus: Primo evolvantur iuris loca, & tentet iuris ſtudioſus, an poſſit proprio marte penetrare, tum in quo leges obſtent, tum quomodo conciliandae: deinde conſulat alios, qui antinomiam ſolverunt; non quod eorum ſolutionem memoriae mandare neceſſe ſit, ſed ut artem ſolvendi ipſis exemplis diſcat, aſſueſcatque leges etiam ab aliis non conciliatas ad harmoniam redigere; ſed eas, quas magni viri inſolubiles iudicant, diligenter memoriae mandet. Igitur poterit antinomicus menſe uno non difficulter abſolvi. Sed talis, qualem requiro, ſcriptus non eſt, poteritque quattuor plagulis comprehendi. quare totum *exegeticum curriculum* itidem ſemeſtri finietur. Interim, durante *curriculo exegetico*, poterit iuris cultor collegiis diſputatoriis paullatim aſſueſcere, curias etiam & iudicia frequentare, & acta publica evolvere, quae res incredibiliter ad praxin & realia praeparat.

§. 98. *Curriculum polemicum* ſequitur, quod alterum ſtudii iuridici annum ſibi depoſcit. Nunc igitur ad *breviarium controverſiarum* accedat ſtudioſus iuris, non quaſi iam iudex, ſed hactenus ut cognitor tantum. *Breviarium* quomodo conficiendum & ab alienis ſegregandum ſit, diximus (§. 78.); ſed quum tale nondum confectum ſit, cogemur interim ingratiis noſtris *Treutlero* uti. Quomodo autem adhibendum ſit, nunc dicemus, remque plane ſingularem in publicum proferemus, mixturam nempe collegii diſputatorii & practici in iſto ſuper *breviarium*

col-

collegio experiundam. Scilicet ſint diſcipuli ad minimum duodecim : horae diei impendendae duae : quaeſtiones quolibet bihorio tractentur 12. : 6. diſcipuli ſint reſpondentes, 6. opponentes, ſeu 6. actores, & 6. rei: quilibet 2. quaeſtiones minimum defendat vel oppugnet : modus tractandi non ſit diffuſus, ſyllogiſticus, ſed germanicus, practicus, ut in judicio; inde diſcent *vom mund aus in die feder] verfahren* (a), ſeu oretenus proponere, & ex tempore reſpondere & replicare, actor formet caſum *in ſeinem ſatz* (b), in ſua propoſitione, & adferat argumenta pro; reus reſpondeat & adferat argumenta contra breviſſime, ſine inutilium verborum coacervatione: haec reciprocatio bis fiat; praeſes vero, tamquam iudex, concipiat ſententiam, eique rationes decidendi inſerat. Ita aderit hoc compendium, quod multa argumenta ſimul congerentur in unum, non proponentur ſyllogiſtice, nec invitationibus tempus teretur, aut adſumtionibus, aut gratiarum actionibus. Et quia in foro, aut deliberationibus, orationibuſque publicis argumenta non proponuntur ſyllogiſtice; diſcet ita iuris cultor vim argumenti percipere, & latentem errorem detegere, etſi non ſit ſyllogiſticum: neque enim logicae, neque latinae linguae diſcendae cauſſa tale collegium diſputatorio-practicum habetur. Erit & haec utilitas, quod in reſponſionibus & replicationibus extemporaneis, quolibet ſuum ſermonem ſine alterius interpellatione, ut in publicis magnorum virorum orationibus moris eſt, de-

(a) *a proporre un affare, e riſponderri all' improvviſo.*

(b) *nella ſua teſi, o articolo.*

(ipſi ſe politicos, &, ſi diis placet, etiam ſtatiſtas vocant), qui iuriſconſultos rerum imperitos, cautelarum ſcientes ineptos, leguleios vocant; deſinentque Principes gulonum quorumdam aulicorum conſilia, aut verius iugum pati, quando egregius vir auctoritate & eloquentia munitus, conſiliis ſuis non aequitatem magis quam utilitatem (inſeparabiles recte aeſtimanti ſocias) circumponet.

§. 100. Hoc omine finiremus, niſi praeſtaret diſperſa quaedam in ſuperioribus in unum contrahi; primum *computationem temporis*, deinde *catalogum deſideratorum* ad imitationem *Fr. Baconis* in Augmentis Scientiarum.

Computatio temporis haec eſt:

Anni, menſes, ſeptimanae	A.	M.	S.
Pro hiſtoria iuris rudi,	-	-	2
terminis iuris,	-	2	2
praeceptis elementaribus.	-	3	-
Summa curriculi element.	-	6	-
Pro ſerie titulorum,	-	1	-
inſtitutionibus univerſ.,	-	4	-
antinomico minore.	-	1	-
Summa curriculi elementaris & exegetici ſimul.	1	-	-
Pro curriculo polemico ſeu breviario controverſiarum.	1	-	-
Summa ſtudii iuris.	2	-	-

Reliquum tempus lectioni liberae, peregrinationibus, praxi, & negotiis vitae tribuendum.

CA-

Catalogus deſideratorum hic eſto:

Ad perficiendam iurisprudentiam fiant

1) Partitiones iuris §. 8.
2) Sciagraphia iuris in artem redigendi 21.
3) Novum iuris corpus 22.
4) Elementa iuris 24.
5) Reformatio brocardicorum 25.
6) Compendium Menochii & Maſcardi de probationibus & praeſumtionibus 26.
7) Theatrum legale 29.
8) Hiſtoria mutationum iuris 39.
9) Hiſtoria irenica 41.
10) Philologia iuris 42.
11) Philoſophia iuris 43.
12) Concordantiae iuridicae 44.
13) Tropi, formulae, adagia iuris 45. 46.
14) Arithmetica iuris 50.
15) Antinomicus minor 52.
16) Inſtitutiones iuris univerſi 54.
17) Inſtitutiones iuris caeſarei 55.
18) Inſtitutiones iuris ſaxonici 55.
19) Summa titulorum 56.
20) Leges numeratae 62.
21) Verſio legum germanica 65.
22) Ars hermeneutica 66.
23) Iuris naturalis elementa demonſtrative tradita 71. ſeqq.
24) Scientia nomothetica 76.
25) Breviarium controverſiarum iuridicarum 79.
26) Tractatus tractatuum refo rmatus 84.
27) Bibliotheca iuris 85.
28) Loca claſſica ſeu ſedes m ateriarum 85.

H 29.)

hinc confuſio diſcentium: 3) ſaepe ille ordo eſt ineptiſſimus: 4) illi libri continent multa ab uſu remota; nemo autem alicui latinam linguam traditurus, incipit a fragmentis obſoletis *Ennii* & *Pacuvii*, tametſi tempore priora Cicerone fuerint, & eorum, qui cum iudicio uſum a non uſu ſeparare poſſint, ſtilum iuvent. Immo volunt praeclari quidam docendi maſtri, in latinitate inſtillanda a recentioribus incipiendum, quorum & phraſes & res noſtro aevo commodiores. Fruſtra reſpondent, leges veteres originem hodiernarum eſſe, quae ex illis fluxerint: nam & obſoleta latinitas ciceronianae origo eſt; in diſcendo autem non ſemper natura rerum, ſed commoditas ſpectanda eſt: originem iudicio confirmato deinde facile diſcent. 5) Illi libri ob multa vetuſtatis veſtigia ſtatumque reipublicae a noſtro abhorrentem ſunt difficiliores; hinc 6) confuſio fit iurisprudentiae exegeticae & didacticae, & 7) tiro praeter rerum difficultatem etiam verborum obſcuritate oneratur: 8) immo inferuntur iuventuti falſae opiniones de republica hodierna & regimine romani imperii, ut eumdem cum veteri eſſe arbitrentur ſtatum, nempe monarchicum: in quem errorem lectio iuris veteris, & hodierni ignoratio plurimos iurisconſultos duxit, quod non male conqueritur peſſimus alioquin auctor *Hippolytus a Lapide*. Quem vero librum potiſſimum commendem interim, qui in defectu conficiendorum Elementorum Iuris legatur, quique ius hodiernum methodice breviterque tractaverit, non invenio; magno, neſcio, an pudore meo, an iurisprudentiae dedecore. Porro, ut *praecepta elementaria* hodierna tanto melius retinean-

tur,

tur, detur opera praeceptori inter explicandum, ut cuilibet placito iuris, etiam arbitrario, rationem aſſignet, aut congruentiam quamdam interdum ridiculam excogitet; v. g. teſtes in teſtamento requiri ſeptem, quia ſeptem ſint ſyllabae horum verborum *teſtes in teſtamento:* talibus utuntur Iudaei in docenda lingua hebraica. Porro tam in definitionibus, quam praeceptis allegentur ad marginem loca legum claſſica; eaque inter docendum evolvantur, ut paullatim aſſueſcant ſtilo legum, & adquirant memoriam in illis localem, promtitudinem evolvendi, & confuſam cognitionem. Cognitis igitur *terminis*, impendentur *praeceptis elementaribus* 3. menſes; & ita *curriculum elementare* anno dimidio abſolvetur.

§. 96. *Curriculum exegeticum* ſequitur. Sed ne nunc quidem ad ipſorum iuris librorum ordinatam totalemque perlectionem tiro ducendus eſt, antequam combiberit *breviarium controverſiarum*, ſeu *curriculum polemicum* abſolverit; quia alioqui nullo uſu leget, non intelligens, quo quid collimet. Sed ſi controverſias pernoverit, non ſolum ſcopum videbit, ſed & inter legendum, proprio marte nova ab aliis non deprehenſa ipſe, ad huius vel illius controverſiae deciſionem ſpectantia, obſervabit. Ut tamen quoad ſumma rerum capita perinde ſit, ac ſi libros legum authenticos legiſſet, proponantur 1) ſeries titulorum, 2) inſtitutiones iuris univerſi, ſeu compendium librorum authenticorum, 3) antinomiae. Series titulorum per tabulas optime diſcetur imaginando ſibi fortiter methodum Triboniani; et, quantum fieri poteſt, titulos unius libri ſub unum genus commune

mune redigendo (adde ſupra §.52.). Nos certe libros Codicis duodecim verſibus, ſic complexi ſumus, unoque ſic cuiuslibet titulos comprehendimus, ut qui hos teneat, facile e veſtigio iudicare poſſit, ad quem librum pertineat quilibet titulus, quum tamen in Codice tam multi ſint unius libri tituli. Series titulorum *Iac. Gothofredi* maxime placet; & poterit menſe abſolvi, dum accedat poſtea evolvendi exercitatio.

§. 97. Inſtitutiones Iuris Univerſi, ſeu compendium librorum authenticorum, quomodo conficiendum ſit, diximus (§.54.). Hoc iam iuris cultori pervolvendum eſt, ut non ſolum, quid iuris ſit, ſed & quid iuris fuerit, diſcat; quorum illud ex Elementis, hoc ex Inſtitutionibus hauriet: Inſtitutionibus enim his, ſeu compendio inferenda erunt & abrogata, quemadmodum in ſuis Inſtitutionibus *Iuſtinianus* ipſe eorum non obliviſcitur. Alleganda ſunt ad marginem & evolvenda loca legum, non ſolum claſſica, ut in Elementis (§.96. *fin.*), ſed omnino omnia ad rem pertinentia, ita tamen, ut claſſica ſingulari ſigno vel charactere dignoſci ceteris poſſint. Pro Inſtitutionibus Iuris Interni in defectum adhiberi poterit Iurisprudentia Romana *Vulteii*, non brevis illa in Belgio forma duodecima edita (de qua §.95.), ſed grandior in forma octava edita Marpurgi, quae munus hoc non incommode implet: quia vero plurima Elementis praeoccupata ſunt, poterunt tribus menſibus abſolvi Inſtitutiones; evolutio enim non in collegio fiet, ſed domi. Praeceptor aliqua tantum loca extra ordinem huic vel illi evolvenda proponat in ipſo collegio, diligentiae excitandae cauſſa.

cauſſa. Antinomiae quomodo in brevem libellum colligendae, quem diximus Antinomicum Minorem, explicatum (§. 52.); ſed ſic tractandus: Primo evolvantur iuris loca, & tentet iuris ſtudioſus, an poſſit proprio marte penetrare, tum in quo leges obſtent, tum quomodo conciliandae: deinde conſulat alios, qui antinomiam ſolverunt; non quod eorum ſolutionem memoriae mandare neceſſe ſit, ſed ut artem ſolvendi ipſis exemplis diſcat, aſſueſcatque leges etiam ab aliis non conciliatas ad harmoniam redigere; ſed eas, quas magni viri inſolubiles iudicant, diligenter memoriae mandet. Igitur poterit antinomicus menſe uno non difficulter abſolvi. Sed talis, qualem requiro, ſcriptus non eſt, poteritque quattuor plagulis comprehendi. quare totum *exegeticum curriculum* itidem ſemeſtri finietur. Interim, durante *curriculo exegetico*, poterit iuris cultor collegiis diſputatoriis paullatim aſſueſcere, curias etiam & iudicia frequentare, & acta publica evolvere, quae res incredibiliter ad praxin & realia praeparat.

§. 98. *Curriculum polemicum* ſequitur, quod alterum ſtudii iuridici annum ſibi depoſcit. Nunc igitur ad *breviarium controverſiarum* accedat ſtudioſus iuris, non quaſi iam iudex, ſed hactenus ut cognitor tantum. *Breviarium* quomodo conficiendum & ab alienis ſegregandum ſit, diximus (§. 78.); ſed quum tale nondum confectum ſit, cogemur interim ingratiis noſtris *Treutlero* uti. Quomodo autem adhibendum ſit, nunc dicemus, remque plane ſingularem in publicum proferemus, mixturam nempe collegii diſputatorii & practici in iſto ſuper *breviarium* col-

collegio experiundam. Scilicet ſint diſcipuli ad minimum duodecim: horae diei impendendae duae: quaeſtiones quolibet bihorio tractentur 12.: 6. diſcipuli ſint reſpondentes, 6. opponentes, ſeu 6. actores, & 6. rei: quilibet 2. quaeſtiones minimum defendat vel oppugnet: modus tractandi non ſit diffuſus, ſyllogiſticus, ſed germanicus, practicus, ut in judicio; inde dicent *vom mund aus in die feder] verfahren* (a), ſeu oretenus proponere, & ex tempore reſpondere & replicare, actor formet caſum *in ſeinem ſatz* (b), in ſua propoſitione, & adferat argumenta pro; reus reſpondeat & adferat argumenta contra breviſſime, ſine inutilium verborum coacervatione: haec reciprocatio bis fiat; praeſes vero, tamquam iudex, concipiat ſententiam, eique rationes decidendi inſerat. Ita aderit hoc compendium, quod multa argumenta ſimul congerentur in unum, non proponentur ſyllogiſtice, nec invitationibus tempus teretur, aut adſumtionibus, aut gratiarum actionibus. Et quia in foro, aut deliberationibus, orationibuſque publicis argumenta non proponuntur ſyllogiſtice; diſcet ita iuris cultor vim argumenti percipere, & latentem errorem detegere, etſi non ſit ſyllogiſticum: neque enim logicae, neque latinae linguae diſcendae cauſſa tale collegium diſputatorio-practicum habetur. Erit & haec utilitas, quod in reſponſionibus & replicationibus extemporaneis, quolibet ſuum ſermonem ſine alterius interpellatione, ut in publicis magnorum virorum orationibus moris eſt, de-

(a) *a proporre un affare, e riſpondervi all' improvviſo.*

(b) *nella ſua teſi, o articolo.*

deducente, meminiſſe neceſſe eſt multorum alterius argumentorum vel reſponſionum, quod, niſi aſſuetus, non poteſt; aſſueſcet autem optime iuvenis tali collegio diſputatorio practico: vulgaris enim in academiis diſputandi mos in communi vita non eſt uſitatus, tum quia latinus, tum quia interruptionibus creber; ſed in publicis conſeſſibus, deliberationibus, concertationibus ſenatorum, legatorum, & advocatorum non licet alterius ſermonem interrumpere: quare & iuvenes in academiis paullatim ad uſum communis vitae ſunt praeparandi. Porro actor caſum formatum reo ac iudici communicet die proximo antecedente. Brevitate autem ſumma opus eſt, ut qualibet hora poſſint abſolvi 6. quaeſtiones. Sed hic adhiberi poteſt egregium artificium; nempe plures quaeſtiones cognatae eiuſdem materiae poſſunt commode in unum caſum compingi, quemadmodum & in iudiciis multae controverſiae ſimul concurrunt: ita res facillime exitum ſortietur, poteritque anno abſolvi *breviarium*, etſi 3600. quaeſtiones contineat. Ad argumentum autem pro & contra habenda, diſputantes loca legum & doctorum in *breviario* citata evolvent; ita poterit unus alterius rationes praevidere.

§. 99. Atque ita totum ſtudium iuridicum biennii ſpatio finietur, & plus fortaſſe efficietur, quam quinquennio illo vulgari, quod auctor Menippi anonymus, ſed, ut coniicio, *Ioh. Valentinus Andreas* in Magia Chriſtiana, ad tam exiguum temporis ſpatium, ſi inutiles occupationes ſubtrahantur, reduxit, ut me luſtri huius pudeat miſereatque. Decurſo hoc biennio, deſinet ſtudioſus iuris diſcipulus eſſe, iam-
que

que ipſe ſibi controverſiarum iudicium adrogabit, &

tandem cuſtode remoto,
in aprici gramine campi

per iuriſprudentiae vaſta ſpatia volitabit; leget libros legum authenticos pedetentim, titulos legesque maxime neceſſarias prima vice, ceteras pro gradibus in libro illo ſupra (§ 48.) laudato aſſignatis; ſubinde addet, eliciet inde, quae ad variarum controverſiarum deciſionem faciunt, & novas regulas, nova univerſalia, ab aliis neglecta fabricabit; adhibebit commentarios, penetrabit in rationes legum, & ſibi paullatim ipſe legislatoris prudentiam ſaltem, niſi & perſonam ſumet: deinde in vaſtum controverſiarum pelagus progreſſus, obſervabit dicaſteriorum conſuetudines, traditaſque eis a maioribus ſententias, pugnas diſſenſusque invicem, & pro ratione populorum, pro rerumpublicarum diverſitate variantia iura notabit; diſcetque ex immotis iuris naturae principiis, & utilitate publica continuo nexu firmas demonſtrationes deducere, & inanes pragmaticorum argutias & allegatiunculas, & contortos ex doctorum auctoritate impertinente, & adplicatione brocardicorum inepta nodos, ſcientiae invictae gladio ſecare. Hunc ego verum iuris philoſophum, hunc iuſtitiae ſacerdotem, hunc iuris gentium, &, quod ex eo pendet, publici atque divini conſultum dixero; cui poſſit committi reſpublica, quem neque ineptae ſtatus ratiunculae ad novandum impellant, neque a promovenda publica ſalute inanis iuridicarum quarumdam ſpinarum metus deterreat: concident ſponte ſua macchiavelliſtarum convicia

(ipſi

(ipſi ſe politicos , & , ſi diis placet , etiam ſtatiſtas vocant) , qui iuriſconſultos rerum imperitos , cautelarum ſcientes ineptos, leguleios vocant ; deſinentque Principes gulonum quorumdam aulicorum conſilia , aut verius iugum pati, quando egregius vir auctoritate & eloquentia munitus , conſiliis ſuis non aequitatem magis quam utilitatem (inſeparabiles recte aeſtimanti ſocias) circumponet .

§. 100. Hoc omine finiremus , niſi praeſtaret diſperſa quaedam in ſuperioribus in unum contrahi ; primum *computationem temporis* , deinde *catalogum deſideratorum* ad imitationem *Fr. Baconis* in Augmentis Scientiarum.

Computatio temporis baec eſt:

Anni , menſes , ſeptimanae	A.	M.	S.
Pro hiſtoria iuris rudi,	-	-	2
terminis iuris,	-	2	2
praeceptis elementaribus.	-	3	-
Summa curriculi element.	-	6	-
Pro ſerie titulorum,	-	1	-
inſtitutionibus univerſ.,	-	4	-
antinomico minore.	-	1	-
Summa curriculi elementaris & exegetici ſimul.	1	-	-
Pro curriculo polemico ſeu breviario controverſiarum.	1	-	-
Summa ſtudii iuris .	2	-	

Reliquum tempus lectioni liberae , peregrinationibus , praxi , & negotiis vitae tribuendum.

CA-

Catalogus deſideratorum hic eſto:

Ad perficiendam iurisprudentiam fiant

1) Partitiones iuris §. 8.
2) Sciagraphia iuris in artem redigendi 21.
3) Novum iuris corpus 22.
4) Elementa iuris 24.
5) Reformatio brocardicorum 25.
6) Compendium Menochii & Maſcardi de probationibus & praeſumtionibus 26.
7) Theatrum legale 29.
8) Hiſtoria mutationum iuris 29.
9) Hiſtoria irenica 41.
10) Philologia iuris 42.
11) Philoſophia iuris 43.
12) Concordantiae iuridicae 44.
13) Tropi, formulae, adagia iuris 45. 46.
14) Arithmetica iuris 50.
15) Antinomicus minor 52.
16) Inſtitutiones iuris univerſi 54.
17) Inſtitutiones iuris caeſarei 55.
18) Inſtitutiones iuris ſaxonici 55.
19) Summa titulorum 56.
20) Leges numeratae 62.
21) Verſio legum germanica 65.
22) Ars hermeneutica 66.
23) Iuris naturalis elementa demonſtrative tradita 71. ſeqq.
24) Scientia nomothetica 76.
25) Breviarium controverſiarum iuridicarum 79.
26) Tractatus tractatuum reformatus 84.
27) Bibliotheca iuris 85.
28) Loca claſſica ſeu ſedes materiarum 85.

29) Vitae iuriſconſultorum 85.
30) Repertorium iuris 86.
31) Pandectae iuris novi 91.

Plura nunc non ſuccurrunt, & aliquid mihi ſervandum eſt; revelavi tamen plura quam deſtinaram. Nullus prope paragraphus ſine nova vel inventione, vel contemplatione abiit. Non gloriam, ſed utilitatem quaeſivi publicam, alioqui nomen praeſcripſiſſem. Si quid me effeciſſe videro, tentabo minuere propoſitum proxime *catalogum deſideratorum*: ſin minus, ego me invidiae nota abſolvi. Contemtoribus ſatis ſupplicii ignorantia erit. Veniet fortaſſe aliud tempus dignius noſtro, quo, debellatis odiis, veritas triumphabit.

Hoc mecum opta, lector, & vale.

FINIS.

RA-

RATIO CORPORIS IURIS RECONCINNANDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

RATIO CORPORIS
IURIS RECONCINNANDI.

§. 1. I*Us romanum* vocamus tam quod a Iuſtiniano romano Imperatore, quam quod a romanis Pontificibus profectum eſt. Illud *iuſtinianeum* dicitur, hoc *pontificium*.

§. 2. Utrumque habet per Europam fere totam, ſpontanea quadam receptione, vim *iuris communis*, & quaſi *iuris gentium chriſtianorum*; ut valeat, quatenus ei ſpeciali regni, regionis, provinciae, loci alicuius lege, ſtatuto, vel conſuetudine non eſt derogatum.

§. 3. Hanc auctoritatem hoc rerum ſtatu neceſſario retinebit;

§. 4. Quia omnes ei aſſueverunt ſcriptores in allegando & fundamentis ex eo petendis, ſcholae in legendo & diſputando, forum in iudicando, conſulendo, patrocinando; adeo ut eae quoque gentes, quamvis paucae, quae uſu fori excluſerunt, ſcholas tamen ei aperuerint.

§. 5. Ideo *iuris romani* auctoritas ſine totali rei iuridicae mutatione tolli non poteſt; tolli tamen vitia eius & poſſunt & debent.

§. 6. *Iuris* igitur *romani* conſideranda

ſunt *vitia* ; *vitiorum effectus* , *vitiorum remedia.*

§. 7. *Iuri romano* obiiciuntur haec *vitia* , *ſuperfluitas* , *defectus* , *obſcuritas* , *confuſio.*

§. 8. *Superfluitas iuris romani* conſiſtere putatur in *abrogatis.*

§. 9. Sed *abrogata* ex *iuris corpore* , ſi univerſale variis gentibus manere debet , eiicienda non ſunt ; quia alia aliis gentibus ſunt abrogata : v. g. in Hiſpania adhuc viget vera ſervitus.

§. 10. Perlegantur modo illi , qui *abrogata* colligere conati ſunt : reperiemus , quae unus pro univerſaliter *abrogatis* aſſerit ; alterum nonniſi de illius patria concedere , de ſua vero vel aliorum contrarium demonſtrare.

§. 11. Immo in omnibus *abrogatis* manet nihilominus vera propoſitio conditionis ; nempe quod , *ſtante illa hypotheſi quae olim fuit, etiam ſtare ius vetus deberet:*

§. 12. Contra , quod *ſtante hodie hypotheſi* , *quae veteri ſimilis vel contraria eſt* , *etiam* , ob ſimilem , vel contrariam decidendi rationem , *ius hodiernum iuri veteri ſimile vel contrarium eſſe debeat.*

§. 13. Et ita *abrogata* praebent in hypotheſi proportionali hodie vigenti fundamentum decidendi proportionale : v. g. materia de Famulis , de Operis Ruſticis , Hominibus Propriis hodiernis , ex materia Servorum veterum; materia de Unione Prolium hodierna , ex Adoptionibus veteribus capit fundamentum. Nos tamen operam dabimus *abrogatis* communioribus , & ſuis locis , & ſigillatim unius ſchematis

tis aſpectu ſimul, repraeſentandis.

§. 14. *Defectus iuris romani* conſiſtit in *antinomiis*, & quod *caſus plurimi in eo non ſatis deciſi ſunt.*

§. 15. Sed haec vitia omnibus legibus communia ſunt; numquam enim poſſunt comprehendi omnes caſus.

§. 16. Audemus tamen dicere, nullum exſtare librum legum in orbe terrarum, qui plures, & inſigniores in omnibus materiis comprehendat & decidat caſus, quam *corpus* utrumque *iuris romani.*

§. 17. *Antinomiae* verae, ſi quae ſunt, paucae ſunt, a nobis & ipſae repraeſentandae.

§. 18. Et multa controvertuntur, quae ex legibus modo confuſis ſic apparent, nec tamen ſunt, verum exercitii tantum cauſſa proponuntur.

§. 19. Optandum tamen, caſus adhuc controverſos inſigniores publica auctoritate hodie decidi, & ita *corporis iuris* pomoeria velut proferri: ſed hoc alterius diſquiſitionis eſt, & legibus ſecundum inſtitutum noſtrum in ordinem redactis, caſibus indeciſis ea ratione clarius eluceſcentibus, quin etiam a nobis ſimul indicatis auctorum eos colligentium locis, magis magiſque patebit.

§. 20. *Obſcuritas iuris romani* conſiſtit in ſtili & hiſtoriae veterum ignoratione.

§. 21. Sed *obſcuritas* hodie ſatis diſpulſa eſt per iuriſconſultos recentiores, *Cuiacios*, *Contios*, *Hottomannos* alioſque, in primis poſtquam potiſſima ex iis ſelecta *Dionyſius Gothofredus* in Notis ſuis textui addidit.

§. 22. Curatus igitur eſt morbus hic le-

 gum,

gum ; niſi quatenus adhuc a confuſione trahit alimentum. Interim plurima egregia ad illuſtrationem, ornatum, perfectionem pertinentia deſiderari adhuc poſſe, non diffitemur; de quo plura infra (§. 142. & *ſeqq.*).

§. 23. *Confuſio* autem ſola adhuc maxime regnat, & omnia turbat; ea enim & ſuſtentat ſuperfluitatem, & defectum, & obſcuritatem.

§. 24. Quia quamdiu omnia confuſa ſunt, non poſſumus certo ſecureque noſſe, & in numerato habere, quid in legibus poſitum ſit, quod poni non debuiſſet; nec, quid in iis omiſſum; quod omitti non debuiſſet; nec quae lex aliam explicet, aut emendet.

§. 25. *Confuſio* eſt *operum*, *materiarum*, & *legum*.

§. 26. *Confuſio operum* conſiſtit tam in *varietate operum*, quam in *varietate ordinis*.

§. 27. *Varietas operum* eſt, quod de eadem re agitur ſaepiſſime in diverſis operibus *corporis iuris*, nempe & in Digeſtis, & Codice, & Inſtitutis, & Novellis &c.

§. 28. Haec debent inter ſe coniungi paralleliter.

§. 29. Et tale opus vere baſilicum & regium iam tum annis abhinc circiter 800. moliti ſunt imperatores orientis, Baſilius Macedo, Leo Philoſophus, & Conſtantinus Porphyrogenneta; quod vocatur Corpus Baſilicorum, conſtabatque ex libris ſexaginta.

§. 30. Sed non pervenit ad nos integrum; in poſtrema enim *Caroli Hannibalis Fabroti* editione, quae in Gallia ex m. s. bibliothecae regiae prodiit, deſunt libri novendecim, & loca

& loca Iuris iuſtinianei in eo detruncata non, ut deſiderantur, integra relicta ſunt; & admixtae ſunt Novellae ſequiorum in oriente imperatorum, numquam in occidente receptae: ideo Baſilica haec exemplum magis illuſtre, quam exemplar perfectum praebent.

§. 31. Coniungi tamen ex variis libris parallela ſic debent, ut non unum fiat crama; ſed in qualibet materia diverſitas iurium, ſeu quid Digeſtis inductum, Codice ſuppletum, & ex his iterum velut compendio Inſtitutis repetitum, Novellis denique & Canonico Iure correctum ſit, ſucceſſive in conſpectu eſſe poſſit. (Adde infra §. 90. 125. 139.).

§. 32. *Varietas ordinis* eſt, quod alia iura alium habent ordinem: alius enim eſt in Digeſtis, alius in Codice, alius in Inſtitutis, alius in Decretalibus; in Novellis vero & Decreto plane nullus.

§. 33. Sed in Decretalibus laudandum; quod eodem ordine diſpoſitae ſunt & Decretales Gregorii, & in Sexto Bonifacii, & Clementinae, & Extravagantes tam Iohannis quam Communes; ubi ſequentes collectiones neque alios titulos, neque aliam eorum ſeriem, quam praecedentes habent.

§. 34. Haec *varietas ordinis* tollitur, ſublata *varietate operum.*

§. 35. Sed quaeritur, utrum opus utri in commixtione ſit accommodandum?

§. 36. Et res ipſa loquitur, non cetera Inſtitutis accommodanda eſſe; quia magnum parvo accommodari, ſine nimia partium maioris divulſione ac contorſione, vix congrue poteſt:

§. 37.

§. 37. Nec Codici, ſed Digeſtis; quia in Digeſtis materiarum principia traduntur, in Codice tantum ſupplentur, & ſpecialius per titulos particulariores diducuntur.

§. 38. *Confuſio materiarum* eſt vel *generalium*, vel *ſubalternarum*, vel *ſpecialium*.

§. 39. *Materiae generales* ſunt, in quas totum Ius dividitur, v. g. hoc modo: Generalia Iuris & Actionum, Perſonae, Iudicia, Iura Realia, Contractus, Succeſſiones, Delicta, Ius Publicum, Ius Sacrum &c: quam dividendi rationem praxi & uſu communi ob commoditatem receptam, nos in primis tenebimus.

§. 40. Horum in Digeſtis & Codice ordo aliquis ad Edictum Perpetuum compoſitus, & ita in fundamento ſimilis; ſed ſaepius interruptus, & non uno loco diſperſus, tum quia Edicti Perpetui ordinem hodie coniecturis tantum aſſequimur, tum quia Tribonianus regulam eius ſibi propoſitam non adeo religioſe ubique ſervavit. Hanc confuſionem monſtravimus duobus ſeparatis ſchematibus calci diſſertatiunculae huius ſubiectis, ſub ſignis Θ & Λ; ex quibus & apparet diviſionem Digeſtorum in 7. partes a Triboniano factam, uti per ſe arbitrariam, nec certo fundamento nixam, ita inſtituto noſtro commodam eſſe non poſſe.

§. 41. Sed in earum quidem locum ſubſtituimus noſtras novem partes ex rei natura ſumtas iamiam §. 39. enumeratas; nihilominus tamen (quod ex tabula collatoria ordinis vulgaris & noſtri aliquando ad oculum patebit) ordinem Digeſtorum principaliter retinentes, iis tantum, quae a ſede ſua propria

pria omnium confeſſione diſtracta ſunt, ad eam reductis; ut ſingulatim iura Perſonarum, Iudiciorum item, Contractuum &c. uno certo loco collata, quaerentem non amplius fatigent.

§. 42. *Materiae ſubalternae* ſunt mediae inter *generales* & *ſpeciales*; v. g. in materia Perſonarum generali ſubalternae ſunt materiae Poteſtatis Patriae, Servorum, Libertorum, Matrimoniorum, Tutelae, & Curae.

§. 43. In *Materiis ſubalternis* retineri plerumque poteſt ordo Digeſtorum: v. g. in Digeſtis (interiectis licet aliis) materia Perſonarum eamdem fere ſeriem habet, quam §. praecedenti poſuimus; niſi quod materia Libertorum & Manumiſſionum paullo ſerius ponitur.

§. 44. Et generaliter obſervandum duximus, ut ordo *corporis iuris vulgaris* retineatur & in *corpore iuris reconcinnando*, quantum fieri poteſt; idque memoriae & reflexionis ad ordinem vulgarem, & commoditatis in evolvendo cauſſa.

§. 45. *Materiae ſpeciales* ſunt ipſi *tituli* in *corpore iuris*, qui in ſpecialiores non diducuntur; v. g. de Manumiſſis Vindicta; de Pactis Dotalibus &c.

§. 46. *Titulis* autem aequiparandos duximus nova, ſed neceſſaria ratione & *paragraphos* Inſtitutorum, & *capitula* Novellarum: *paragraphos* quidem, tum quia uni ſaepe paragrapho Inſtitutionum reſpondet integer titulus Digeſtorum & Codicis, & ille huius velut ſummarium continet; tum quia nonnulli commentatores ea occaſione ad paragraphos iſtos integras materias abſolvere conſueverunt.

§. 47. *Capitula* vero Novellarum ſecundum editionem Gothofredi itidem *titulorum* inſtar & ſuis quaeque locis inſeruimus, & peculiaria ipſis, prout aliis, ſummaria dedimus: quia plerumque una Novella multa capitula ex variis materiis inter ſe ſine connexione mixta continet; quum tamen eae ipſae capitulorum materiae in rubrica Novellae vulgari non plane enumerentur, ſed adiiciatur ſaepiſſime clauſula illa generalis, *& aliis capitulis.*

§. 48. *Titulorum* conſideranda *conceptio*, *& ſeries.*

§. 49. *Titulorum conceptionem* in *corpore iuris* improbarunt, novoſque ſibi titulos finxerunt methodiſtae, v. g. de Homine Relate Spectato, de Poteſtate Privata, &c.

§. 50. Hoc autem, licet per ſe non improbandum, in reconcinnando tamen *iuris corpore* fieri nequit, ſed retinendi ſunt tituli *corporis iuris*: alioqui corruerent omnia allegata doctorum, in quibus ſemper citatur lex & titulus.

§. 51. *Series titulorum* ſpecialium in *corpore iuris* poſita, ſatis bona eſt: v. g. in materia Manumiſſionum retineri poteſt ſeries titulorum ſpecialium, quae eſt in lib. 40. Digeſtorum & in lib. 8. Codicis;

§. 52. Quia in ea non multum ſitum eſt, nec intereſt, v. g. an prius agatur de Manumiſſione per Teſtamentum, an de Manumiſſione per Vindictam:

§. 53. *Series* enim *titulorum* non ad ſubtilitatem philoſophicam, ſed commoditatem practicam exigi debet; quamquam ubi vel nigrum plus rubro continebit, vel illi nerunt alia, quae

quae hoc amplius declarare poſſint, ſingularibus ſignis & charactere in ipſis titulis admonebimus.

§. 54. Poſt *confuſionem titulorum* ſequitur longe maior *confuſio legum. Legem* appellamus quamlibet propoſitionem vel enunciationem in *corpore iuris principaliter* poſitam, quae cum adnexis unam perfectam & per ſe ſtantem periodum conſtituit; quo ſenſu & *paragraphi legum* communiter dictarum plerumque etiam ſunt *leges*.

§. 55. *Principaliter* quum dicimus, excluduntur omnia, quae indirecte obiterque ad aliud confirmandum, probandum, illuſtrandum appoſita ſunt: ea enim a principali etiam in reconcinnatione divelli non debent, ſed unam cum eo periodum legemque conſtituunt; alioqui ſenſus, & vis illationis imperfecta & mutila redderentur: propoſitiones enim obiter emergentes ſingulas ſuis locis adnotare, Indicis Alphabetici & Digeſtionis Remiſſivae; non vero Reconcinnationis, ſeu Digeſtionis leges iuſto loco in natura, &, ut iacent, totas repraeſentantis, opus.

§. 56. *Confuſio legum* eſt partim *diſperſio*, partim *perturbatio*.

§. 57. *Diſperſio legum* eſt, quod plures leges eodem pertinentes non ſunt poſitae in uno loco ſeu titulo, ſed in diverſis.

§. 58. Interdum enim lex, ad duos titulos heterogeneos pertinens, in alio ponitur, in alio non ponitur: v.g. in tit. de Iure Dotium ponuntur leges de Pollicitatione, Stipulatione, Accepti latione, Uſuris, Uſufructu, Pignore Dotium, &c: tales & ad titulum de Iure Dotium, & ad tit.

tit. de Pollicitatione, Stipulatione, &c. referri poſſunt.

§. 59. Hic *diſperſionis* gradus eſt in toto iure frequentiſſimus. ceterum in tali caſu ea ipſa lex in uno titulo ponenda eſt in natura, & in altero tantum ſummarium eius: illic verba integra exponenda, hic numerus tantum & verba legis initialia alleganda.

§. 60. Ponenda autem eſt integra lex in titulo, ex quo ratio decidendi pendet, & cui magis propria eſt: v. g. ſi legis alicuius de Stipulatione Dotis deciſio pendet ex natura ſtipulationis, & ita non ſolum in dotis, ſed & alia v. g. poenae ſtipulatione obtinet, referenda lex eſt ad titulum de Stipulatione, ſeu Verborum Obligatione; ſin aliter, referenda ad titulum de Dote. Eaque in re magna cautio ponenda eſt, ne primariae ſaepe materiarum ſedes alienis titulis per occaſionem inſperſae loco non ſuo peregrinentur, fugiantque quaerentem.

§. 61. Interdum lex non ponitur in titulo ad quem pertinet, ſed in titulo homogeneo: v. g. in tit. Cod. de Appellationibus ponuntur quae pertinent ad tit. Cod. de Temp. Appell. & contra. Huic diſpoſitioni in iure, neq; rariſſimae, neq; frequentiſſimae, faciliori negotio occurri poteſt.

§. 62. Interdum lex non ponitur in tit. ad quem pertinet, ſed in plane heterogeneo;

§. 63. Adeo ut ſaepe multorum librorum intervallum intercedat leges, quae ſe tamen invicem explicant, ſupplent, limitant, ampliant, emendant, abrogant; quas potius immediate ſibi iungi deceret. Hoc *diſperſionis* genus, ut ra-

rius

rius praecedentibus, ita emendatione maxime indiget.

§. 64. Interdum unius legis paragraphi ad varios titulos pertinent: quae omnia ita notoria & paſſim obvia ſunt, ut non indigeant demonſtratione.

§. 65. *Perturbatio legum* eſt, quando eaequidem poſitae ſunt in uno titulo, ſed ordine confuſiſſimo, cuius rei ſpecimen in tit. d. de Proc. itidem ad calcem adiecimus ſub ſigno Π.

§. 66. Quin immo de legibus titulorum diſponendis Tribonianum cura quandoque vacaſſe, luculenter monſtrant duo illi de Verb. Signif. & Reg. Iur. tituli ex profeſſo miſcellanei, modo generalia, modo ſpecialia continentes, qui propterea & peculiari ſtudio noſtro magis patebunt.

§. 67. Debent autem leges quolibet titulo diſponi ſecundum *locos* materiae *topicos*, quales ſunt, *forma*, *finis*, *efficiens*, *ſubiectum*, *modus cauſandi*, *obiectum*, *effectus*, *contrarium*:

§. 68. Quo pertinent *circumſtantiae*, *quis quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*:

§. 69. In compilando reſpiciendi quidem ſunt *loci topici*, ſed potius exprimendae *circumſtantiae*:

§. 70. Nam popularius, clarius, accuratius tractabimus, quis procuratorem dare poſſit, quis dari, quomodo conſtitui, quid facere poſſit, quid debeat, quomodo eſſe deſinat; quam ſi eius *formas*, *cauſas*, *effectus*, *ſubiecta*, *obiecta*, aliaque metaphyſica, ambigua, & remota ingeſſiſſe accuſemur.

§. 71. Hactenus de iuris romani *vitiis*. *Effectus* horum *vitiorum* ſunt omnia illa mala, quae

quae nunc in rem iuridicam incurrere, quae omnia enumerare neque inſtituti noſtri, neque ſpatii eſt.

§. 72. Illud tantum quaſi per ſaturam adiiciamus, e *confuſione corporis iuris* ortam eſſe & *neglectionem* lectionis eius; &, ſi quis eam forte acceſſiſſet, difficultatem reperiendi, coniunctamque cum incertitudine ac moleſtia ex variis locis combinandi neceſſitatem.

§. 73. Ab his porro ortum eſt, quod paullatim doctores magis in foro attendi, & in ſcholis citari coepere, quam ipſae leges.

§. 74. Praeſertim quum ſtilus eorum, & genus loquendi, & exempla caſusque, opiniones denique noſtro aevo accommodatiores iis appareant, qui parum, non aeque, ſolliciti ſunt in indaganda hiſtoriae antiquitate, & genuinis verbis ipſarum legum.

§. 75. Patefacta ſemel doctoribus auctoritate, coepere numerari ſententiae, & e contra crepari communes opiniones, immo communes contra communes.

§. 76. Ita ius infinitum, incertum, imperceptibile, arbitrarium, antiquum denique chaos reddi clamarunt plurimi.

§. 77. Et ſunt quidam in ipſam iuriſprudentiam eiuſque cultores contumelioſi adeo, ut iactare audeant, omnia pro & contra defendi poſſe, nulla eſſe principia iuſtitiae certa, quo nihil miſerius, nihil ad perniciem reipublicae validius.

§. 78. Ut taceamus retardationem iuventutis in ſcholis, cumulationem litium in foro, acervum infinitarum allegationum non ipſarum tantũ legum, ſed & doctorum eorumque opinionum in libris,

bris, ex hac unica ſcaturigine duci, quae quanto magis nundinatim augentur, tanto magis iura confunduntur.

§. 79. Atque hinc ſimul apparet, cur nobiliora, & ad res gerendas nata ingenia, indignatione quadam, & velut nauſea concepta, ſeceſſionem a iureconſultis iamiam moliantur, magiſque inclinent iuris naturalis & hiſtoriarum iucundiorem potius ductum ſequi, quam haerere inter tot ambages obſcuri iuris;

§. 80. Aliud haud dubie factura, ſi quis eis via ſecura brevique, & amoenitatem iuris romani, & cum naturali ratione harmoniam, ſatis ac facile deguſtandam praebeat:

§. 81. Quod non toties repetitis diſputationibus, perpetuis controverſiis, praegrandibus commentariis, innumeris allegatis, animum generoſiorem & ad alia properantem deterrentibus; ſed rei ad ipſa principia reductione, accedente ſelectarum amoenitatum velut condimento, effici tandem ſperamus:

§. 82. Haec enim copia nimia, hic torrens ſiſti non poteſt, niſi fonte obſtructo, id eſt, ſublata *iuris confuſione*, quod unicum tot vitiorum remedium reſtat.

§. 83. *Confuſio* ea tolletur, reductis redactiſque in ordinem ipſis legibus, id eſt, *corpore iuris reconcinnato*.

§ 84. *Reconcinnationem* bono cum Deo ſic paramus: I) Retinebitur textus *corporis iuris*, ut iacet, nullo neque demto, neque addito, neque mutato:

§. 85. Neque enim inſtitutum noſtrum eſt leges excerpere, truncare, controvertere, applicare, argumenta textus abundanter nimis,

 & ſae-

& ſaepe minus ad propoſitum extendere;

§. 86. Nec animus eſt paratitla, analyſes, ſyntagmata, diſpoſitiones, ideas, introductiones, collegia, exercitationes, & tot alia nomina condere, quae auctores ſynthetici ſuis laboribus ſat laudabilibus hactenus indidere.

§. 87. Nam ſi quiſque ſibi ſumit leges iam ex Digeſtis quidem, iam ex Codice digerere, nec tamen omnes exhaurit, nec ea tantum, quae manifeſtiſſime, & in terminis dicunt, adfert, neque etiam a controverſiis aut doctorum ſententiis abſtinet; tum & multiplicatur res in infinitum, & nihilominus labor manet imperfectus;

§. 88. Quia nulla perfectionis, nulla certitudinis ſpes eſt, quamdiu deeſt (quae hactenus defuit) proba ſecuritatis, quae nos dubitare non ſinat, de omnibus titulis, omnibus legibus, omnibus denique legum paragraphis exhauſtis, & in iuſtum locum redactis.

§. 89. Id vero praeſtabitur *in corpore iuris reconcinnato*, quod unicum infinitorum eiuſmodi paratitlorum, analyſeon, &c. inſtar erit.

§. 90. II.) Libri iuris in unam conſonantiam iungentur, ſic tamen, ut uno obtutu apparere poſſit, quid Codice vel Digeſtis &c. hauſtum ſit. Adde quae diximus (§. 23.— 31.).

§. 91. III) Retinebuntur, tituli ſeu rubricae in *corpore iuris* iam exſtantes, per ea quae diximus (§. 48. 49. 50.).

§. 92. Hi tituli IV) primum a nobis digerentur in materias generales, velut partes principales iuris univerſi & totius operis noſtri, ad imitationem illarum 7. partium, in quas ipſos Pandectas, quamvis ſine ullo doctrinae vel memoriae iuvamine hactenus cernimus diviſos. Et

ciunt

erunt quidem hae noſtrae partes numero novem ipſi ordini Digeſtorum perpetuo currenti, eiuſque rationi ſimul ac praxi receptiſſimae ſatis conſentaneae, iunctis tantum ſecuritatis cauſſa iis tituli libris, legibus &c., quos iam a principio iungi decuiſſet, quique non iuncti praeſentem nunc nobis, quam omnes plangimus, generarunt obſcuritatem, veluti 1) generalia iuris & actionum, 2) iura perſonarum, 3) iudicia, 4) iura realia, 5) contractus, 6) ſucceſſiones, 7) delicta, 8) ius publicum, 9) ius ſacrum. (vide etiam §. 40. ſupra).

§. 93. V) *Materiae generales* digerentur in ſubalternas, ordine veteri *corporis iuris* partim ſervato, partim, ubi opus, mutato, per ea quae diximus (§. 42.).

§. 94. VI) *Materiae ſubalternae* digerentur in ſpeciales, ſervato ordine vulgari *corporis iuris*, per ea quae diximus (§. 51. 52.).

§. 95. VII) Ordo *corporis iuris* vetus ſervabitur, ubi ſervari commode poteſt (per §. 54. & §. 92.): in primis autem Digeſtorum, ita ut tituli Digeſtorum directores ſint, ceteri ex Codice, Inſtitutionibus, Novellis, Decretalibus, memoria locali quantum fieri poteſt invicem etiam ſervata, ſubordinentur (per §. 36. 37.).

§. 96. VIII) *Leges* vel *Paragraphi* ad eumdem titulum ſpectantes colligentur in unum (per §. 56. *ſeqq.*).

§. 97. IX) Diſponentur ſub eo ordine naturali circumſtantiarum (per §. 67. 68. 69. 70.).

§. 98. X) Si *lex* ad plures titulos referri poteſt, ponetur ſub eo, ex quo pendet eius ratio decidendi: ſub altero tantum citabitur per verba initialia (§. 5.).

§. 99. XII) Res per *indices* ſic dirigetur, ut tituli & leges *corporis iuris*, ita ut nunc a doctoribus citantur, mutato licet ordine, etiam in *corpore iuris reconcinnato* facile inveniri poſſint.

§. 100. XIII) Denique proba ſecuritatis velut arithmetica habebitur, quae in eo conſiſtet, ut certo ſciamus, nullum a nobis titulum, nullam legem, paragraphumque omiſſum, omnia obſervata, digeſta, ſuo loco inſerta eſſe: qua de re ſatis proſpectum eſt per ſupputationem, & velut arithmeticam calculi ſubductionem. De probae huius forma infra (§. 137. 138. 139. 140.) amplius.

§. 101. Satis delineavimus, quale futurum ſit *corpus iuris reconcinnatum*, id eſt, nihil aliud quam ſyſtema legum omnium, prout ſingulae in *corpore iuris* verbotenus iacent, & in natura reperiuntur; iuſto ordine digeſtarum.

§. 102. Sed antequam integrae leges ita digeſtae excudentur, praemittemus *repraeſentationem corporis iuris reconcinnati*, velut ideam, ſchema, diatypoſin ordinis iuſti:

§. 103. Idque in primis, ut aliorum indicia exploremus, ac, ſi quae cordate & candide admonebuntur, re adhuc integra emendemus.

§. 104. Publico vero calculo accedente, & favore principali corroborante, poterunt faciliori negotio ipſae leges integrae (quem ſcopum inde uſque ab initio reſpeximus) verbotenus, eo quo repraeſentabimus ordine, ipſis typis bono cum Deo exhiberi.

§. 105. Quo tamen labore nobis primario propoſitum eſt, non *corpus iuris* vulgari ordine conceptum e ſcholis tollere, ſed declarare; non

non authentica vi & adprobatione fori privare ; ſed ad ipſam praxin accommodatius reddere ; non omnem eius auctoritatem , & fundatas in eo doctorum allegationes , ac omnia eorum ſcripta hactenus divulgata, uno quaſi ictu evertere ; ſed ordinis ſplendore illuſtrare ; denique illud efficere , ut *corpus reconcinnatum* veteris non ſucceſſor , ſed comes habeatur.

§. 106. In hac *corporis iuris reconcinnati repraeſentatione* erunt quaedam *principalia*, quaedam *acceſſoria*. *Principalia* erunt legum expreſſio , legum diſpoſitio , ſummarium tituli , proba ſecuritatis.

§. 107. Nam & enumerabuntur leges , ut nobis videntur , diſponendae , & inferetur eadem opera diſponendi ratio , legumque nervus , denique proba adiicietur.

§. 108. Ut ita *repraeſentatio* haec ab ipſo *corpore iuridico reconcinnato* non aliter differat, quam quod repraeſentationi integra legum verba deſunt ; etſi ea ita comparata ſit , ut , qui velit , ipſas leges in natura ſubſtituere non difficulter poſſit.

§. 109. Expreſsio & allegatio legum omnis fiet & *litteris initialibus* , & *numeris*. *Litteris initialibus* ſolis veteres , *numeris* ſolis plerumque moderni citant.

§. 110. Prius moleſtiae, poſterius incertitudinis cauſſa eſt.

§. 111. Sentimus hodie , & conquerimur omnes , quam ſumme lubrica ſit per numeros citatio , quam erroribus typographorum & deſcriptorum lapſibus obnoxia ; praeſertim impreſſionibus operum ſaepe repetitis vitia augentibus magis , quam tollentibus , in quibus nonnum-

quam vix tertiam allegatorum partem veram eſſe, evolventes non ſine moleſtia experiuntur. Quae res maxime in praeclaris *Dionyſii Gothofredi* ad univerſum iuris civilis corpus notis deploranda eſt.

§. 112. Ideo nos utramque, & per *numeros* & per *initialia verba*, citationem perpetuo coniungemus; & in *numeris* ipſis citandis nova quadam, & hactenus non viſa, commodiſſima tamen & ſecuriſſima ratione utemur, omni lapsus metu, & revidendi neceſſitate praecluſa.

§. 113. Sed quoniam in variis *iuridici corporis* editionibus leges varie numerantur, inchoantur, dividuntur; quod in paragraphis legum in primis elucet, olim plane non numeratis, ſed ex allegantium arbitrio diſtinctis; ideo, ſemel in univerſum profitemur editionem corporis civilis gothofrediani a nobis perpetuo reſpectam eſſe: haec enim ceterorum editorum omnium *Haloandri*, *Hervagii*, *Hugonis a Porta*, *Torrentini* Pandectarum Florentinorum primi emiſſoris, *Ruſſardi*, *Contii*, *Baudozae* &c. luminibus offecit, & elegantia & commoditate princeps.

§. 114. Etſi hanc quoque (add. §. 111.) appareat laborare quibusdam naevis, ſic in diſtinctione paragraphorum vel verſuum debuiſſet toties inchoari & numerari novus, quoties novus caſus nova periodo decidi incipit; quod tamen quum factum non ſit, auxit operis noſtri difficultatem: v. g. in l. filius familias 8. principio, quattuor periodi ponuntur, prima continet, *filius familias ad agendum dare procuratorem poteſt:* ſecunda, *item ad defendendum:* tertia, *item filia familias ad agendum:* quarta, *filius*

ſilius procurator dari poteſt. Quum autem in digeſtione neceſſe ſit ſeparari eum, qui procurator dari poteſt, ab eo, qui eum dare poteſt; manifeſtum eſt, quartam minimum periodum, peculiarem paragraphum conſtituere in numerando & inchoando debuiſſe.

§. 115. Apparet autem varietas editionum in Novellis maxime; has enim veteres alia prorſus ratione, &, ut ipſi vocant, per collationes & titulos diviſerant, capitulis etiam peculiari rubrica carentibus, & in paragraphos commutatis: quam ad rem opus erit peculiari *indice*, ac *ſchemate* comparationis ſuo loco producendo.

§. 116. Praeterea Novellas quaſdam veteribus ignoratas primum *Jacobus de Bello Viſu*; deinde *Haloander*, *Scrimgerus*, *Cuiacius*, & ad extremum *Contius* addidere, donec in hanc formam excreſcerent, qua nunc utimur. Unde factum eſt, ut aliae Novellae latinae tantum, aliae & graecae habeantur; ut taceamus varie a variis rubricas concipi; aliter enim vulgata, aliter haloandrina, aliter index *Cuiacio* adhibitus, Novellarum Capitulorumque inſcriptiones expreſſerunt: quae omnia a nobis ſuo loco exhibentur.

§. 117. Et haec de ratione enumerandarum atque exprimendarum legum in repraeſentatione *corporis iuris reconcinnati* a nobis facienda; quae tamen non cruda & nuda erit, ſed una eademque opera, & ratione diſponendi per locos & circumſtantias (vid. ſupra §. 66. 67.), & ipſius legis veluti nervo & ſummario veſtita.

§. 118. Non tamen ea allinemus, quae lex

per conſequentiam tantum dicit (hoc enim ad controverſias & notas pertinet), neque quae obiter dicit (id enim indicis eſt); ſed quae ex profeſſo dicit, ita ut ipſa integris verbis huc transferri poſſit.

§. 119. Talia ſummaria legum eiusdem prope brevitatis erunt, cuius gothofrediana; ſed quod gothofrediana non faciunt, integrum ſenſum conſtituent: gothofrediana enim ſummaria tantum indefinite concepta ſunt, & rubricae potius vel indicis, quam ſummarii rationem habent, quod contra eſt in noſtris.

§ 120. Verbi gratia, leges quaedam procuratoris cauſſam efficientem continentes a nobis ſic proponuntur: *Procuratorem dare poteſt filius, & filia familias* (l. filius familias 8. princ. l. ſervum 33. princ. d. de procurat.), *qui de ſtatu ſuo litigat* (§. eum vero 1.), *patronus contra libertum, & e converſo, in iudicio ingrati* (l. ſed & hae 35. § patronus), *non poteſt ſervus* (l. ſervum 33. princ.) *non populari iudicio agens, niſi eius intereſt* (l. licet in 42.), *non tutor, & curator, & procurator nomine principalis, niſi litem conteſtatus* (l. neque tutores 11. c. eod.).

§. 121 *Gothofredus* vero eaſdem leges ſic ſummat: *De filio & filia familias* (l. filius familias 5. princ. d. de procurat.), *de pupillis, adultis, & eorum tutoribus, & curatoribus* (l. neque tutores 11. c. eod.), *de ſervi & filii familias procuratore* (l. ſervum quoque 33. princ. d. eod.), *de eo qui de ſtatu ſuo litigat* (d. l. ſervum quoque 33. § eum vero 1.), *de liberti ingrati accuſatione* (l. ſed et hae 35. §. patronus 1.), *ad quas actiones procurator dari poteſt* (addi

di debuiſset *de actionibus popularibus*; quae ſolae in ea lege tractantur) (l. licet in 42. princ.).

§. 122. Sed *Gothofredus* vix potuit aliter, niſi voluiſſet ſummaria ſua nimis excreſcere: quia eadem alias ſaepiſſime repetere debuiſſet, ob leges, licet eodem tendentes, in ordine vulgari varie diſperſas.

§. 123. Nobis vero, redactis in ordinem legibus, eadem brevitate multo plus complecti licuit; quia ob rerum ſibi recte connexarum ſeriem poſſumus idem praedicatum multis ſubiectis ſimul collectis, vel e converſo, praefigere, ut ita ſingulari compendio & claritate tota ſententia emergat, quod in exemplo praemiſſo patet.

§. 124. Sed praeter ſummaria legum, ex ipſa earum repraeſentatione & diſpoſitione velut aliud agendo emergentia, praefigetur cuilibet titulo ſummarium tituli ipſius, idque a legum ſummariis tum *forma* differt, tum *magnitudine*.

§. 125. *Forma*; quia leges eiuſdem materiae ex Digeſtis, Codice, Novellis inter ſe iungentur: ſed titulis Digeſtorum & Codicis, capitulis item Novellarum ſeparata ſingulis ſynopſis praefigetur; idque ut in ipſa commixtione iurium (veteris, novi, noviſſimi) originis diverſitas eluceſcat magis, de quo ſupra (§ 31. & 90.);

§. 126. *Magnitudine*; quia in ſummario tituli una ſaepe ſententia plurimarum legum nervus continebitur: v. g. in exemplo proximo ſummarium tituli hoc tantum dicet: *Procuratorem dare poteſt in rebus ſuis, qui praeeſſe iis iure poteſt; in alienis liber homo ex ſpeciali mandato.* Ex quo omnes illae leges (§. 120.) enu-

enumeratae, & plurimae aliae ibi omiſſae ſponte fluunt.

§. 127. Neceſſarium hoc eſt, ne diſperſus per ſpeciales legum caſus animus rem difficilius ad univerſalia revocare poſſit; quum tamen ad ſolide iudicandum, & ſcientiam conſequendam, nihil ſit univerſali regula optabilius.

§. 128. Complectuntur autem ſummaria tituli vel *capituli continuationem*, *rubricae explicationem*, *materiae* denique *principia*.

§. 129. *Continuationem tituli* inſeruimus, quamvis habet in *corporis iuris* ordine vulgari; ſicubi ea ſingularis, nec ſtatim obvia eſt; quia ex ea apparet, quam varie idem titulus variis materiis applicari poſſit, & ipſa memoria localis, ac reflexio ad ordinem vulgarem tanto melius excitatur;

§. 130. Ita tamen, ut ab anxiis quibuſdam & longius petitis methodi iuſtinianeae excuſationibus, quas oeconomiarum, tabularumque ſcriptores a nobis ſuo loco referendi, in minimis quibuſque ſalvandis, ex profeſſo ſuſceperunt, abſtinuerimus.

§. 131. Complectemur quoque *explicationem rubricae*, quam eum in finem in partes ſecuimus, ut ſingula verba, quum merentur, commodius illuſtrare liceret.

§. 132. Ea occaſione vocum etymologiae notabiles, definitiones item, & homonymiarum excluſiones ad intelligentiam tituli neceſſariae acceſſerunt: nec omiſſi ſunt ritus veteres, ſicubi ad intelligentiam termini requirebantur.

§. 133. In ſummariis tituli exponemus principales eius regulas, & velut *principia materiae*, unde deciſiones caſuum omnes pendent.

§. 134.

§. 134. Hinc neceſſarium duximus ea in primis in illis adnotare, quae non naturali ratione & aequitate conſtant, ſed arbitrio legiſlatorum ſunt recepta; quia talia memoriae ſunt, non indicii, atque ideo diligenter animis imprimenda.

§. 135. A controverſiis vero abſtinuimus; purum hunc *iuris* fundum, quaſi purgatum quoddam novale, omnis generis frugi ferendae accommodatum, omnibus praeſtituri.

§. 136. Allegata legum ſummariis tituli non inſeruimus; quia ipſae leges iis ſubiectae, & per notas quasdam applicatae, eam vicem ſuſtinebunt.

§. 137. *Proba ſecuritatis* denique *repraeſentationi* adiicietur: ea erit tam *particularis*, quam *univerſalis*.

§. 138. *Particularis* praefigetur cuilibet titulo, ac ſeparatim titulo Digeſtorum, ſeparatim titulo Codicis &c; quia nihil aliud erit, quam recenſio omnium legum & paragraphorum tituli eo ordine, quo in ipſo vulgariter iacent; & oſtenſio in ſingulis facta, quomodo, & quo loco a nobis noſtrae *reconcinnationi* ſint inſertae.

§. 139. Qua ratione & certi erimus de toto titulo exhauſto, & apparebit, quid a nobis in qualibet materia ex Digeſtis, quid ex Codice &c. ſumtum ſit, de quo ſupra admonuimus, (§. 31. 90. 125.).

§. 140. *Proba univerſalis* ſubiicietur operi univerſo, quae univerſalem omnium legum ſecundum ordinem vulgarem recenſionem, & ad ordinem novum applicationem continebit; tum ut certo ſciamus totum *iuris corpus* in digerendo exhauſtum eſſe; tum ut leges ſecundum ordinem cor-

Digitized by Google

corporis vulgaris a doctoribus citatae ; ſtatim inveniri poſſint & in *reconcinnato*. (add. §. 98. *ſeqq.*).

§. 141. Haec igitur *principaliter repraeſentationem corporis iuris reconcinnati* ingredientur. Nunc *acceſſoria* quoque, quae eius commendandae & illuſtrandae cauſſa ſupervenient, breviter perſtringamus.

§. 142. *Acceſſoria* haec partim ad *titulum*, partim ad *leges*, partim ad *materias*, partim ad *univerſum* applicabuntur.

§. 143. *Tituli* ipſius rubricam ac ſummarium illuſtrabunt, contenta tituli ultra rubricam, actiones ex eo manantes ; diverſitas rubri a nigro , diverſitas circa titulorum conceptionem Codicis a Digeſtis &c. , quaeque in uno materiae ab altero neglectae; differentiae item iuris veteris , novi , noviſſimi , civilis , & pontificii; item variae titulorum lectiones , variae eorumdem cum aliis titulis cognationes , & differentiae; varii titulorum indices alphabetici, verborum initialium , materiarum , utriuſque; varia titulorum ſchemata , & tabulae repraeſentantes eorumdem in diverſis *corporis iuris* voluminibus harmoniam inter ſe , rationem ordinis corporis vulgaris , rationem ordinis variorum methodiſtarum , rationem quoque iuſtificatoriam ordinis noſtri ; ſingulis denique titulis peculiari modo auctores , qui materias cognatas ſingularibus tractatibus complexi ſunt ; adiicientur , quae res parvae cuiuſdam bibliothecae iuridicae vim continebit.

§. 144. *Legibus* accedunt antinomiarum , concordantiarum , paralleliſmorum, ſubordinationum , illuſtrationum mutuarum obſervationes,

quem

quem in uſum nec ſacra Scriptura, nec Caii, Paulli, Vlpiani, ceterorumq; iuriſconſultorum veterum fragmenta, nec Codex theodoſianus, nec Novellae ſequiorum in Graecia imperatorum, nec libri Baſilicorum (quorum ultima editio Gothofredo poſterior nova multa ſuppeditare poteſt), nec alii legum veterum ac recentiorum celebriorum libri negligentur.

§. 145. In ipſis autem iuſtinianeis legibus diſtinctiones graduum per ſigna quaedam exprimentur, ut appareat, quae leges ſint magis neceſſariae, ac velut claſſicae, ſed ſedes materiarum, quae utiliores & πρακτικώτεραι (a); contra quae difficiles, & ut quidam vocant, candidatoriae, quae minus uſitatae, quae plane abrogatae: unde eadem opera differentia theoriae & praxeos elucebit.

§. 146. Circa *materias* ideae quaedam & ſynopſes in ſingulis partibus generalibus compendioſe a nobis exhibebuntur: ita praeſto erit breviſſima ſynopſis iuris univerſi, magiſtratuum, poenarum, delictorum, proceſſus, actionum, matrimonialium, contractuum, feudalium &c.

§. 147. Huc & recentiorum quarumdam famoſarum legum, uti Nemeſeos Carolinae, conſtitutionis Maximiliani de Pace Publica, item de Notariis &c. illuſtratio & repraeſentatio referetur.

§. 148. In his igitur diverſis, ſelectis, & curioſis, nova quadam ratione veri ac varii, ut ſic dicam, Tractatus Tractatuum veterum & recentiorum velut in nucleo exhibebuntur, & hodierna iura ac mores quaſi in tabula apparebunt, ſuamque cum veteribus harmoniam oſtendent, quod in iure quoque publico & utile erit, & iucundum. §. 149.

(a) *faciliores*,

§. 149. Lucem denique *univerſalem* toti inferent omnia ſchemata, indices, ideae, ſynopſes, tabulae per varias materias titulosve diffuſae: quales plurimae iam praeparatae ſunt, & ſub manibus in dies naſcuntur, applicantes ius noſtrum ad ius naturae hodie per *Grotium* & ſimiles alios reſuſcitatum; ad ius divinum theologiam, hiſtoriam, geographiam, philoſophiam, philologiam, oeconomiam, politicam, rem militarem, medicinam, matheſin, poeſin quoq; & rem metricam variis carminibus hinc inde inſertis, & memoriae utilibus, & lectioni iucundis, materias & titulos iuris noſtri illuſtrantibus.

§. 150. Erunt forte, qui nos in aula & apud iudicia ſuprema verſantes, tantum nobis ſumere mirabuntur: ſed hi ſibi perſuadeant, animos ad *univerſalia* reſpicientes, & omnium harmoniam attendentes, & variorum auctorum inſtituta & methodos inter ſe comparantes, facile commoditates quasdam advertere potuiſſe, quibus difficultates etiam inſuperabiles vulgo viſae complanentur.

§. 151. Credant potius, nos tot ſcientiarum affinitates non ad oſtentationem, verum ad condimentum, immo & complementum iunxiſſe: quo ſane carere non poſſumus, ſi quam, & vel maxime noſtram hanc iuris ac iuſtitiae, ne dicam univerſalis, artem perfectam appetamus.

§. 152. Ita habes, benevole lector, inſtituti noſtri, in anteceſſum quidem, & *rationem*, & *formam*; videbis facile, ſi tibi librorum huius temporis cognitio eſt, rem, ſi vota omnium ſpectes, veterem, ſi exſecutionem, immo

& ſi

& ſi ipſam ideam & modum conſideres, novam.

§. 153. Vbi, ſi qua adhuc obſcurius dicta videntur, ſententiam contine, uſque dum opus ipſum introſpexeris; cui quaedam reſervanda fuiſſe, ipſe facile cogitabis.

§. 154. Hoc interim conteſtamur ſincere, nos, quibus & maiorum continua doctrina, & ſtudio noſtro honeſte vivere conceſſum eſt, non alio ſtimulo impulſos fuiſſe, quam noſtra haec ſtatim ab ingreſſu curſus iuridici agitata, publico communicandi lubentiſſime, gratulaturi nobis, ſi modo hunc velut indicem puri denique ordinatique *iuris* noſtri videbimur ſubminiſtraſſe.

§. 155. Omnem ſane operam ac laborem impendemus conatibus hiſce noſtris in lucem proxime emittendis, quantum gratia coeleſtis, quantum principalis indulgentia affulſerit, quantum denique conceſſerit valetudo. Tu tantum, lector optime, accipe quae probas, ne carpe quae improbas, his meliora admone; agnoſcemus & aſſentientis candorem, beneficium & emendantis; ſtimulabimurq; ad alia aeque nova ac praeparata (horum modo fortunam exſpectantia) producenda.

§. 156. Summis vero illis ac terrarum moderatricibus animabus nobiſcum a Deo, & perpetuam pacem inter ſe, & in ea iuſtitiae ad Theodoſii, Iuſtiniani Imperatorum, vel uno hoc conatu famae aeternitatem meritorum exemplum, reſtituendae otium curamque; nobis vero, & earum in labores noſtros propenſionem conſtantem, & valetudinem ſecundam precare: ac quando hoc unum ſupereſt, vale.

AP-

APPENDIX.

SCHEMA I.

sub ſigno ☉.

pertinet ad §. 41.

Partes.	Libri.	Series Digeſtor.	Tituli.
I.	(1)	Generalia - - -	1. - 4.
		Perſonae - - -	5. - 7.
		Realia - - - -	8.
		Ius publicum -	9. - 22.
	(2)	Iudicia - - -	1. - 13.
		Contractus -	14. - 15.
	(3)	Iudicia - - -	1.3.4.6.
		Delicta - - -	2.
		Contractus -	5.
	(4)	Generalia - -	
II.	(5)	Iudicia - -	1.
		Succeſſiones -	2. - 6.
	(6.10)	Realia . . .	
	(11)	Iudicia - - -	1. - 2.
		Realia - - -	3. - 8.
III.	(12)	Contractus -	1.4.7.
		Iudicia - - -	2. - 3.
IV.	(13.21)	Contractus -	
	(20.22)	Contractus -	1. - 2.
		Iudicia - - -	3. - 6.
	(23.27)	Perſonae - -	
	(28.36)	Succeſſiones	
VI.	(37)	Succeſſiones	1. - 13.
		Perſonae - -	14. - 15.
	(38)	Perſonae - -	1 - 5.

Suc-

	Succeſſiones	6 - 17.
(39)	Realia - - -	1. 2. 3.
	Ius publicum	4.
	Contractus -	5.
	Succeſſiones -	6.
(40)	Perſonae - -	
(41)	Realia - - -	
(42)	Iudicia - - -	
(43)	Realia - - -	
(44)	Generalia -	1. 5. 7.
	Iudicia - - -	6.
(4-46)	Contractus -	
(47)	Delicta - - -	
(48)	Delicta - - -	
(49)	Iudicia - - -	1. - 13.
	Publica - - -	14. - 18.
(50)	Publica - - -	1. - 15.
	Generalia - -	16. - 17.

K SCHE-

SCHEMA II.

sub signo Λ

pertinet itidem ad §. 41.

Lib. Digg.	Lib. Cod.	Series Cod.	Tit. Cod.
	(1)	Ius ſacrum	1. - 13.
I.		Generalia	14. - 17. 23.
		Iudicia	18. - 22. 44.
		Ius publicum	24. 43. 46. 47.
		Iudicia	44. 45. 48. 54.
		Ius publicum	55. - 58.
II.	(2)	Iudicia	1. 2.
		Contractus	3. 4. 5.
III.		Iudicia	6. - 18.
IV.		Generalia	19. - 54.
		Iudicia	55. - 58.
V.	(3)	Iudicia	1. - 27.
		Succeſſiones	28. - 31.
VI. XI.		Realia	32. 38. 40. 44.
		Iudicia	39.
XII. XIX. XXI. XXII.	(4)	Contractus	1. - 9.
		Generalia	10. - 17.
		Contractus	18.
		Iudicia	19. - 22.
		Contractus	23. - 58.
		Publica	59. - 63.
		Contractus	64. - 66.
XXIII. XXVII.	(5)	Perſonae	1. 52. 54. 75.
		Iudicia	53.
XXVIII. XXXVIII.	(6)	Perſonae	1. - 3.

Suc-

		Succeſſiones - 9. 37. 39. 62.
		Generalia - 38.
LX.	(7)	Perſonae - 1. 24.
XLI.		Realia - 25 - 41.
XLII.	) (8)	Iudicia - 42. - 75.
XLIX.	)	
XLIII.		Realia - 1. - 10.
		Publica - 11. 12.
XX.		Realia. - 13. 34.
XLIV.		Generalia - 35.
		Iudicia - 36.
XLV. XLVI.		Contractus - 37. - 45.
		Perſonae - 46. 48. 51.
		Ius publicum 50.
		Generalia - 52.
XXXIX.		Contractus - 53. 55.
		Succeſſiones - 56. 58.
XLVII.	) (9)	Delicta -
XLVIII.	)	
	) (10)	Publica -
XLIX. L.	) (11)	Publica -
	) (12)	Publica -

Digitized by Google

SCHEMA III.

ſub ſigno II

pertinet ad §. 65.

SPECULUM LEGUM CONFUSARUM

exhibitum in tit. Digg.

DE PROCURAT.

VVlgaris eius tituli ordo huc redit. Ponitur in lege 1. definitio, obiectum, modus cauſsandi, finis, modus cauſsandi: l. 2. ſubiectum, modus cauſsandi, ſubiectum: l. 3. obiectum, tempus: l. 4. tempus: l. 5. 6. 7. modus cauſsandi: l. 8. efficiens, modus cauſsandi, ſubiectum, effectus, contrarium: l. 9. 10. 11. contrarium: l. 12. 13. contrarium, & effectus: l. 14. 15. effectus contra procuratorem pro adverſario: l. 16. contrarium, effectus pro domino contra procuratorem: l. 17. idem, effectus pro procuratore: l. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. idem: l. 25. 26. modus effectuandi, effectus pro domino contra procuratorem: 27. effectus contra dominum, modus effectuandi, effectus pro adverſario, effectus pro domino contra adverſarium: l. 28. idem: l. 29. effectus pro adverſario contra dominum: l. 30. effectus pro procuratore contra adverſarium: l. 31. effectus pro adverſario contra procuratorem, & pro procuratore contra dominum, ſubiectum, modus cauſsandi, contrarium: l. 32. modus cauſſandi: l. 33. efficiens, ſubiectum, cognata: l. 35. 36. 37. 38.

38. effectus contra procuratorem: l. 39. idem, modus cauſsandi: l. 40. obiectum, modus cauſſandi, cognata: l. 41. ſubiectum: l. 42. obiectum, effectus pro & contra dominum & procuratorem, ſubiectum, efficiens, cognata: l. 43. efficiens, ſubiectum, efficiens, effectus contra procuratorem: l. 44. idem: l. 45. idem, efficiens, effectus contra procuratorem: l. 46. efficiens, modus cauſsandi, cognata, effectus pro domino contra procuratorem, effectus pro procuratore contra dominum, ſubiectum: l. 47. 48. ſubiectum, effectus pro procuratore contra adverſarium: l. 49. effectus pro adverſario contra dominum: l. 50. effectus pro domino contra adverſarium: l. 51. cognata: l. 52. 53. 54. 55. effectus pro procuratore contra dominum: l. 56. effectus pro procuratore contra adverſarium: l. 57. effectus pro procuratore: l. 58. idem: l. 59. idem: l. 60. idem: l. 61. effectus pro adverſario contra procuratorem: l. 62. effectus pro procuratore contra adverſarium: l. 63. idem: l. 64. cognata: l. 65. modus cauſsandi: l. 66. effectus contra dominum: l. 67. effectus contra procuratorem: l. 68. effectus pro domino contra adverſarium: l. 69. effectus pro domino: l. 70. cognata: l. 71. obiectum, & efficiens: l. 72. effectus pro domino contra adverſarium: l. 73. effectus pro adverſario: l. 74. efficiens: l. 75. modus cauſſandi: l. 76. cognata: l. 77. idem: l. 78. idem, effectus pro procuratore contra adverſarium.

F I N I S.

CHRISTIANI L. B.
DE WOLFF
De Iurisprudentia scienter pertractanda
DISSERTATIONES SELECTAE.

Digitized by Google

Google

DISSERTATIO I.

DE

IURISPRUDENTIA CIVILI

in formam demonſtrativam redigenda.

§. I. POSTQUAM (*a*) methodum expoſui, qua philoſophiam tractandam eſſe arbitror, atque oſtendi, methodi illius eaſdem prorſus eſſe regulas, quam methodi mathematicae, & eamdem utique ubivis adhiberi poſſe ac debere, ubi certa rerum cognitio deſideratur, immo ipſo etiam opere docui (*b*), ea utiliter philoſophiam tractari; non unus ex me quaeſivit, utrum etiam iuriſprudentia civilis eadem methodo pertractari poſſit, & quid in primis deſideretur, ut in formam demonſtrativam redigatur. Conſultum igitur duxi meam ea de re ſententiam publice exponere, ut ſatisfaciam ſimul illis, qui in poſterum eam forſan rogaturi eſſent, & ne eadem pluribus ſcri-

Occaſio ſcribendi, & inſtitutum Autoris.

(a) *in Diſcurſu Praeliminari de Philoſophia c.4.*
(b) *in Logica, & Ontologia. addatur Coſmologia, quae nunc prodit.*

ſcribi neceſſe ſit. De iuriſprudentia naturali quae philoſophiae pars eſt, etſi ad facultatem iuridicam pluribus in locis hodie referri ſoleat, nec abſque ratione referri poſſit, praeſertim quum diviſio facultatum non ſatis firmo nitatur fundamento, idem palam eſſe exiſtimo; & ſi quis ea de re dubitet, fidem oculatam ipſimet dabimus, abſolutis Metaphyſicae partibus, ſyſtema iuris naturae & gentium ipſa methodo adornaturi. Etſi enim hactenus nemo fuerit, qui in iure naturae ac gentium tradendo methodi demonſtrativae leges cuſtodiverit; non tamen inde colligi poteſt, quod ius iſtud talem methodum reſpuat, quum auctores, qui in eo excolendo deſudarunt, de methodi demonſtrativae legibus parum fuerint ſolliciti. Omnis ergo quaeſtio huc redit, utrum ius civile in formam demonſtrativam redigi poſſit, nec ne. Haec autem quaeſtio non uno ſenſu accipi poteſt, nec inconſultum eſt, ut ad eamdem in omni ſenſu reſpondeamus. Quando nimirum quaeritur, num ius civile in formam demonſtrativam redigi poſſit, quaeſtio primum ita accipi poteſt, ac ſi quaeratur in genere, utrum ius quoddam civile condi poſſit, nec ne, quod methodo demonſtrativa proponi, & in ſyſtema veri nominis redigi queat, quale nuper delineavimus: deinde ſumi poteſt, quod quaeratur, num ius civile romanum, quale Inſtitutionibus, Pandectis, Codice, ac Novellis continetur, in iſtiuſmodi ſyſtema compingi poſſit; & num leges romanas ita ordinare liceat, ut ex anterioribus demonſtrentur ſequentes, in ſubſidium vocatis quibuſdam principiis, quemadmodum *Euclides* in Elementis in ſubſidium vocat principia quaedam on-

tologica, quibus notiones communes reſpondent, prout a me in Opere Ontologico ſeu Prima Philoſophia fuit oſtenſum: denique quaeſtio ita intelligitur, ac ſi quaeratur, num Inſtitutiones vel Pandectae, retento titulorum ordine, ad formam demonſtrativam reduci poſſint.

§. 2. Ut igitur ad quaeſtiones ſingulas reponere liceat, quid mihi videatur, utque ſententiae meae rationem reddere valeam; qualis ſit forma iſta demonſtrativa, de qua hic loquimur, ante exponendum eſſe mihi videtur. Etſi enim ex Opere Logico hauriri poſſint regulae, quae huc faciunt, nec inutilis ſit opera, quae Diſcurſui Praeliminari de Philoſophia Operi Logico Latino praemiſſo legendo impenditur; moleſtum tamen videtur lectorem illuc remittere, quum multo laboris compendio hic doceri poſſit, quae de forma iſta ipſi tenenda ſunt. Ad formam demonſtrativam requiruntur definitiones exaſciatae, principia aliunde aſſumta, quae illis iuncta propoſitionibus demonſtrandis ſufficiunt, propoſitiones determinatae, ordo definitionum ac propoſitionum ſecundum mutuam earumdem a ſe invicem dependentiam, & demonſtrationes exactae. Definitiones exaſciatae ſunt, quae eas continent rerum definiendarum determinationes, unde cetera iiſdem convenientia demonſtrari poſſunt. Tales ſane ſunt definitiones mathematicorum; tales quoque ſunt definitiones philoſophicae. Immo neceſſe eſt definitiones iſtiuſmodi in ſyſtemate condi: propterea quod vi earumdem res, de quibus agitur, ad ſua genera ſuaſque ſpecies reducuntur, & ſingulis generibus ac ſpeciebus ſingulis ſua praedicata tum abſoluta, hoc eſt, vi ſolius defini-

Qualis ſit forma demonſtrativa, de qua hic quaeritur.

nitionis, adeoque ſemper ac neceſſario competentia, tum hypothetica & conditionata, hoc eſt, ad determinationes conſtantes, quae definitiones ingrediuntur, extrinſecus accedentibus aliis, quae rei non ſemper adſunt, rei convenientia aſſignentur. Etenim ideo diſciplinae in formam demoſtrativam rediguntur, ut certa veritatum in caſibus obviis ſit applicatio: quod ubi fieri debet, ope definitionum diiudicari debent res obviae, ut ad id genus vel iſtam ſpeciem redigantur, cuius praedicata nobis ex diſciplinis innotuere (*a*). Definitiones in diſciplinis ſunt prima principia, in quae demonſtrationes propoſitionum reſolvuntur: ſolae tamen non ſufficiunt ad eas contexendas. Praeter eas igitur aſſumenda ſunt principia alia, quae ex diſciplinis aliis mutuantur, vel etiam notionibus communibus reſpondent. Ipſae autem demonſtrationes contexendae, quae ea conquirendi neceſſitatem imponunt, numerum eorum determinant; neque enim pluribus habemus opus, quam quae iiſdem ſufficiunt. Quamdiu igitur demonſtrationes non contexuntur, nec diiudicari poteſt, quotnam & quibuſnam iſtiuſmodi principiis habeas opus. In illis etiam principiis ſunt, quae de rebus, quibus convenientia praedicata vindicanda ſunt, demonſtrationum ſubſidio, abſque probatione conceduntur & axiomatum nomine compellantur. Propoſitiones ſingulae determinatae eſſe debent, ut in notione ſubiecti ratio contineatur, cur praedicatum eidem ſit tribuendum: ita enim ex notione ſubiecti iudicari

(a) *Vid. Log. part. 2. ſect. 5. c. 3.*

tari poteſt, num rei in dato caſu obviae tribuendum ſit praedicatum. Atque ex hoc ipſo intelligitur, quam neceſſariae ſint propoſitiones determinatae, tum ut demonſtrari poſſint, tum ut applicari queant. Definitiones hoc ordine collocandae ſunt, ut termini per antecedentes definiti ingrediantur ſequentes: neque enim admittendi ſunt termini, qui non fuerunt definiti, niſi vel ex aliis diſciplinis tamquam ibidem definiti ſupponantur, vel iisdem notiones clarae quidem, ſed confuſae reſpondeant, quibus quando contenti eſſe poſſimus ex Logica noſtra Latina diſcere licet. Non opus tamen ideo eſt, ut definitiones omnes continua ſerie praemittantur: id quod diſcentibus valde moleſtum accidit, ubi plures fuerint, & eorum memoriam nimis defatigat. Sufficit ut termini, qui definitionem quocumque loco poſitam ingrediuntur, nec indefiniti aſſumi poſſunt, in antecedentibus fuerint definiti, quocumqne tandem loco id factum fuerit. Mirifice lectorem in diſciplina aliqua adhuc hoſpitem iuvat, ſi ſingulae definitiones conveniente loco reponantur, & propoſitionibus demonſtrativis interponantur; quoniam ſic ſucceſſive memoriae infiguntur, & in demonſtrationibus tamquam principia adhibitae familiares redduntur. Morem hunc ſequuti ſumus, & ſequimur in operibus noſtris philoſophicis: neque enim ita imitamur *Euclidem*, & alios methodi artifices, ut eorum veſtigia preſſo pede ſequamur, ubi cum ratione ab iisdem recedere licet, immo, ſi ſapimus, recedendum. Principia, quae aliunde ſumuntur, niſi ex diſciplinis praeſupponi poſſint anterioribus, & illa in primis, quae axiomatum loco habentur, eo ſimili-

ſimiliter loco collocari debent, ubi prima vice iiſdem tamquam principiis in demonſtranda propoſitione aliqua utimur. Ratio eadem, quam modo de definitionibus dedimus. etenim quae non demonſtrantur propoſitiones, perinde ac definitiones ſola memoriae vi retinentur, adeoque coacervatae eamdem fatigant. Quod ſi vero eam immediate praecedant propoſitionem, cuius demonſtrationem tamquam principium prime vice ingrediuntur; eodem prorſus quo ante modo, beneficio applicationis, memoriae felicius infiguntur, & per repetitam applicationem familiares evadunt: quod quia in ſingulis ſucceſſive accidit, nihil difficultatis in principiis retinendis experiri datur. Propoſitiones, quae demonſtrantur, eo ordine ſe invicem excipere debent, quo praecedentes tamquam principia ingrediuntur demonſtrationem ſequentium. Ipſo igitur opere diſcimus in caſu dato, quaenam propoſitiones aliis praemitti debeant. Formam denique, quam demonſtrationes genuinae ſive directae, ſive indirectae habere debent, alibi (a) adeo vivis coloribus depinximus, ut eam nemo non agnoſcere teneatur, modo principia logica non ignoret. Conſtant demonſtrationes continua ſyllogiſmorum concatenatione. Minores primae ſunt determinationes notionem ſubiecti ingredientes; ceterae ſequentes vel concluſiones anteriores, vel propoſitiones ex pluribus concluſionibus anterioribus ſimul ſumtis erutae: hoc ipſo enim fit ſyllogiſmorum concatenatio. Maiores autem in illo ſyllogiſmo ſunt definitiones, principia aliunde aſſumta, axiomata, & propoſitiones anteriores. Ecce tibi

(a) *§. 5. 51. & ſeqq. Log.*

bi demonſtrativam formam, in quam mentis aciem intendere debet, qui vel diſciplinam aliquam, vel quamdam eius partem, aut quamcumque materiam particularem demonſtrativa methodo proponere voluerit. Quod ſi quis ab ea recedit, is tanto minus methodo demonſtrativa uſus dici poteſt, quo longius ab ea recedit. Nemo miretur nos tanta confidentia loqui: neque enim loquimur, niſi de iis, quae nobis certa ſunt atque explorata. Extra controverſiam poſitum eſt, geometras praeſertim veteres, *Euclidem*, *Archimedem*, *Apollonium*, *Theodoſium*, methodi demonſtrativae leges accuratiſſime obſervaſſe. Si qui recentiorum *Rami* veſtigia ſequuti *Euclidem* in nonnullis reprehenderunt; illi cenſuram virorum ſummorum *Newtoni*, *Hugenii*, *Leibnitii* promeruerunt. Nec opus eſt, ut *Euclidem* quis defendat poſt *Barrowium*, qui in Lectionibus, quas vocat, Mathematicis nihil eorum praetermiſit, quae ad retundendam ſciolorum ignorantiam proficua ſunt. Neque vero opus eſt, ut ſolis auctoritatibus pugnemus: etenim in Opere noſtro Logico abunde demonſtravimus, hanc eſſe demonſtrativam formam, non aliam, ut, ſi quis aliam pro tali venditet, is eam adhuc ignorare cenſendus ſit. Quod ſi ergo quaeſiveris, utrum ius civile ad formam demonſtrativam reduci poſſit, nec ne; de hac, non alia forma, quaeſtio intelligitur, quum tam auguſtum nomen proſtituatur, ſi diverſa ab hac forma demonſtrativa appelletur. Et ſi quis fuerit, qui quaeſtionem alio ſenſu movet; cum eo nobis nullum erit negotium: neque enim alio fine ius civile ad formam demonſtrativam reduci optamus, quam ut certum ac utile evadat.

dat. Omnis autem certitudo, & utilitatis, quod deſideratur, complementum, ab hac methodo exſpectandum. Videamus igitur, quid hoc ſenſu reſpondendum ſit ad quaeſtionem triplicem de iure civili in formam demonſtrativam redigendo.

Utrum aliquod ius civile methodo demonſtrativa condi poſſit.

§. 3. Quod ſi ergo quaeſiveris, utrum fieri poſſit, nec ne, ut ius aliquod civile methodo demonſtrativa condatur; ad quaeſtionem affirmative reſpondendum eſſe exiſtimamus. Docuimus in Politicis integro capite, quod & quomodo ius civile ex iure naturali efficiatur, ac nos in re conſentientem habere *Ulpianum* nuper probavimus. Idem in Opere Politico maiore idiomate latino edendo uberius expoſituri ſumus. Supponimus itaque in praeſenti, ius civile ex iure naturali effici, & dari regulas iuxta quas illud ex hoc efficiendum, ſi quidem nil fieri debeat, quod iure reprehendi queat. Enim vero monuimus iam ſupra (§. 1.), iuriſprudentiam naturalem demonſtrativa methodo tradi poſſe, ut ſcilicet condantur definitiones exaſciatae ac fecundae, ut propoſitiones fiant determinatae, ut demonſtrationes ſervent formam a nobis in Logica praeſcriptam, & in ſingula collocentur eo ordine, quo unum per alia intelligi ac demonſtrari poteſt, promiſimuſque nos ſuo ordine tale ius daturum. Praeterea regulae iuxta quas ius civile ex naturali efficitur, non minus demonſtrari poſſunt, quam leges naturales, & dabimus demonſtrationes in Opere Politico, cuius modo mentionem iniecimus. Dantur adeo principia, per quae demonſtrari poteſt, leges civiles eſſe genuinas; nec in iis efficiendis aberratum eſſe a veritate. Quantum nempe leges civiles cum naturalibus conſentiunt, eodem

dem modo quo naturales demonſtrantur: quum enim materialiter eaedem ſint, nec diverſa eſt demonſtratio. Quare quoties lex civilis cum naturali coincidit, toties demonſtratio ex iurisprudentia naturali, ſiquidem demonſtrativam formam iam nacta fuerit, in civilem habitu demonſtrativo induendam transferri poteſt. Dico demonſtrationem ex iuriſprudentia naturali in civilem transferri poſſe: neque enim ignoro fieri poſſe, ut eadem lex aliter demonſtretur in iuriſprudentia naturali, aliter in civili; quum in civili ex fine civitatis ac pendentibus inde principiis, quae in politica evolvuntur, demonſtrari queant, quae in iure naturali aliunde deducuntur. Quando autem ius civile ex naturali efficitur, id in primis curandum, quod in caſu ſimili imperator *Iuſtinianus* (*a*) iniunxit *Triboniano*, viro eminentiſſimo, quaeſtori ſacri palatii, ut ſit una concordia, una conſequentia. Quod ſi hoc obtinet, leges aliae ex aliis ita conſequuntur, ut aliae ex aliis demonſtrari poſſint. Puto igitur manifeſtum eſſe, quod minime repugnet tale condi ius civile, quod in formam demonſtrativam redigi poſſit. Enim vero ex dictis fluit, quod porro reſpondendi debet ulterius quaerenti, quinam ius civile demonſtrativum condere poſſit, ac palam facere valeat, quod iubet imperator, unam eſſe concordiam, unam conſequentiam, nec ullam in omnibus illius membris antinomiam aliquem ſibi vindicare locum. Etenim aut praeſupponitur dari iurisprudentiam naturalem demonſtrativam, & ex legibus naturalibus in eadem demonſtratis effici ius civile, aut leges civiles ex fine civitatis ac pendentibus inde principiis immediate deducun-

(a) *l.* 1. *§.* 8. *C. de Veteri Iure Enucleando.*

ducuntur, aut leges iam alibi proſtantes ad remp. quamdam datam aptantur. In omni caſu, qui ius civile demonſtrativum molitur, non modo formam demonſtrativam ante (§.2.) delineatam animo probe comprehenſam tenere; verum etiam habitu veritates ſibi perſpectas ad eam redigendi pollere debet. Quod ſi enim quis formam ignoret, ne iudicare quidem poterit, num talem habeant quae pro demonſtrativis venditantur, nedum eadem ius civile induere valebit. Quod ſi quidem formam cognitam atque perſpectam habuerit, habitu autem condendi definitiones foecundas, propoſitiones determinatas, & demonſtrationes veri nominis caruerit: is equidem minus recte ab aliis facta reprehendere poterit, attamen ea emendare ac illis meliora dare non valebit. Si vero iam ſupponamus, leges civiles fieri debere ex naturalibus; qui tale quid molitur, ei iurisprudentia naturalis demonſtrativa praeſto ſit neceſſe eſt: animum praeterea imbutum habeat regulis politicis, quibus praecipitur, quid iuri naturali addendum, quid detrahendum ſit, ut prodeat ius civile. Quamdiu enim ea quis ignorat, oleum atque operam perdit, ubi in iure civili demonſtrativo ex naturali efficiendo induſtriam ſuam fatigat. Quod ſi quis leges civiles ex fine civitatis ac pendentibus inde principiis immediate deducere velit, is & prudentia civili, & arte inveniendi apprime inſtructus eſſe debet. Quod ſi deniq; leges civiles peregrinas ad remp. quamdam aptare velit iurisprudentiam civilem demonſtrativam daturus, is non modo eas intelligere, verum etiam ad propoſitiones determinatas revocare, & demonſtrare tenetur, antequam iudicare poſſit,

ſit; num ſtatui reip. conveniant, ad quam eas aptare decrevit. Sed caſus iſte deinceps recurret, quando de iure romano in formam demonſtrativam redigendo dicturi ſumus ſententiam noſtram.

Quod Iuſtinianus voluerit ius romanum fieri demonſtrativum.

§. 4. Quum iam conſtet, minime repugnare ut ius quoddam civile demonſtrativum condatur, & via pateat, qua ad idem pervenitur; diſpiciendum iam porro erit, num ius civile romanum, quale in corpore iuris civilis continetur, in formam demonſtrativam redigi poſſit. *Iuſtinianus* voluit in compilando iure romano evitari omnes antinomias, & unam eſſe debere concordiam, unam conſequentiam (§. 3.). Quod ſi ſumamus, tale illud eſſe, quale voluit imperator; quin in formam demonſtrativam redigi poſſit, dubitandum non eſt. Si enim nullae dantur in iſto iure antimoniae, ſed una ſit concordia; quod leges ſingulae ſint veritati conſentaneae haud obſcure colligitur. Nonnullarum enim legum manifeſta eſt aequitas, quam in dubium revocare nemo valet, immo nonnullarum immutabilis eſt neceſſitas, quod earum oppoſitum ſit manifeſtae iniquitatis. Leges igitur iſtae vel cum iure naturali coincidunt, vel ex eodem iuxta regulas verioris politicae effectae ſunt. Has demonſtrari poſſe legitime, ex iis intelligitur, quae ad quaeſtionem primam (§. *praeced.*) reſpondimus. Enim vero ſi voluntati iuſtiſſimi principis ſatisfactum, nulla inter leges antinomia eſt, ſed una potius concordia. Quare quum error veritati concors non ſit; qui hoc ipſo deprehenditur, quod illi contradicat; legum in univerſum omnium una eſt eademque veritas. Ceterae itaque omnes vel ſimiliter cum legibus naturalibus eaedem ſunt, vel

 ex

ex legibus naturalibus legitimo modo effectae. Quare omnes omnino legitime demonſtrari poſſunt. Et quum porro legum omnium, ſi quidem voluntati imperatoris reſpondeant, una ſit conſequentia; neceſſe eſt ut aliae ex aliis, omnes autem ex iisdem principiis derivari poſſint. Quare in eum ordinem redigi poſſunt, quo primo loco comparentes ex principiis quibuſdam aſſumtis, ceterae autem ex legibus anterioribus demonſtrari poſſunt. Voluit igitur imperator iuſtitiae amantiſſimus, ut ius romanum tale eſſet, quod in formam demonſtrativam redigi poſſit. Et ſi quis iudicare voluerit num voluntati tam auguſtae in compilando hoc iure fuerit ſatisfactum; is idem in formam demonſtrativam ut redigat, operam dare debet. Quod ſi enim conatui reſpondeat eventus, hoc ipſo conſtabit, voluntati tanti principis a collectoribus fuiſſe ſatisfactum. Quod ſi vero ius romanum tale non fuerit, quale eſſe voluit *Iuſtinianus*, & inquiſitionem aggreſſus methodi artifex fuerit; is utique leges notabit a ceteris diſſidentes, & rationem, cur cum ceteris in concordiam reduci minime poſſint, aperiet. Alio pacto quomodo quis certus fieri poſſit, ut confidenter aſſeveret, nullam in toto iure romano dari antinomiam, ſed unam eſſe concordiam, unam conſequentiam, non video. *Euclides* elementa matheſeos methodo demonſtrativa digeſſit: quamobrem qui ea mente attenta legit, lectaque intellexit; is profecto aſſeverare poteſt, ipſa rei evidentia adductus, nullam eſſe in iisdem contradictionem, ſed quae a geometra traduntur, inter ſe concordare, & aliud ex alio ſequi. Enim vero *Ariſtoteles*, quae

quae de philoſophia commentatus eſt, ordine demonſtrativo non digeſſit. Quare qum *Averroes* (*a*) affirmat, *Ariſtotelis* doctrinam eſſe ſummam veritatem, quoniam eius intellectus fuerit finis intellectus humani; caeco in philoſophum amore pronunciat, quod nec demonſtrare poterat, nec cuius adeo convictus erat.

§. 5. Quoniam noſtrum non eſt iudicare de rebus per tranſennam inſpectis; utrum ius civile romanum in formam demonſtrativam redigi poſſit, nec ne, inquiſituri, non aliam viam ingreſſi ſumus, quam ut leges romanas examinaremus, num formam demonſtrativam admittant, an eidem adverſentur. Methodum, qua uſus ſum, mox diſtincte expoſiturus, ut eadem uti poſſit, qui iuris civilis romani ſyſtema demonſtrativum condere voluerit, de ſucceſſu ſecurus, modo non deſint vires ad tam arduum negotium requiſitae. Dicam igitur quale deprehenderim, & quae ſufficere poterunt ad formam demonſtrativam paullo ante delineatam (§. 2.), reſpicienti ut appareat, ſi ius civile romanum in ſyſtema demonſtrativum redacturus ſcopo ſuo excidat, id non iuris, ſed conditoris ſyſtematis vitio fieri. Definitiones exaſciatas, quales requirit forma demonſtrativa, in iure romano non reperi: tales tamen offendi, quae exaſciari poſſunt, vel quatenus confuſa iis reſpondens notio diſtincta redditur, vel quatenus ſimul determinationes ex legibus inde demonſtrandis eruuntur, quae adiiciendae ſunt, antequam foecundas dicere licet. Exempla caſus prioris dedimus anno ſuperiori, quum notiones iuris natu-

An ius romanum in formam demonſtrativam redigi poſſit.

(a) *lib.* 1. *Deſtruct. Diſput.* 2.

rae, gentium, & civilis, itemque iuſtitiae ex mente *Ulpiani*, & *Caii* interpretaremur. Exemplum caſus poſterioris dabimus proxime. De utroque quae tenenda ſint, mox uberius exponemus. Dari principia generalia, quae aſſumenda ſunt, antequam leges demonſtrari poſſint, in rationes legum inquirens didici, nec ſine voluptate conſpexi, in eorum numero eſſe, quae in philoſophia demonſtravi, & tamquam regulas efficiendi ius civile ex naturali in Politica commendavi. Prioris generis eſt, quod, ſublata ratione, tollatur etiam id, quod propter eam potius eſt, quam non eſt, & poſita eadem ratione poni in alio caſu, quod per eamdem in aliquo ponebatur. Poſterioris generis eſt, quod caveri ſummopere debeat, ne in rep. lites civium multiplicentur. Reperi etiam leges quaſdam reſpicere formam, ac ſtatum reip. romanae, veluti quod reſp. fuerit democratica, & populus romanus in quinque tribus fuerit diviſus: quae quum ſint facti, obſervationibus in matheſi mixta, in primis aſtronomia, reſpondent, atque adeo inter principia peculiarem quamdam claſſem conſtituunt. Leges ad propoſitiones determinatas revocari poſſe, quantum ſufficit ad applicationem, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt: deprehendi autem eas ad propoſitiones determinatas, ſi paucas quaſdam exceperis, iſtiuſmodi revocari poſſe, ut ex notione ſubiecti demonſtrari poſſit praedicatum convenire ſuo ſubiecto, modo principia, unde derivantur demonſtrationes, rite poſita fuerint. Quod ſi vero civile quid admittas in iis caſibus, ubi legis naturalis tenor latet; illas quoque, quas excipiendas

das iudico, ad formam tandem facile reduxeris. Praemiſſis definitionibus, & aſſumtis principiis convenientibus, demonſtrationes legitimae formae fieri poſſe, tum ex dictis colligitur, tum ipſo opere expertus ſum. Nihil igitur dubii ſupereſt, fore ut ius romanum ad formam demonſtrativam redigatur, ſi quis ad hunc laborem acceſſerit, qui iuris naturalis, & politicae notitia fuerit inſtructus, nec methodi demonſtrativae leges tantummodo cognitas atque perſpectas habuerit, verum etiam dextre applicare didicerit. Ceterum ex his ipſis requiſitis intelligitur, non adeo facile eſſe, ut ius romanum ad formam demonſtrativam redigatur, nec brevi temporis ſpatio illam habilitatem adquiri poſſe; ut mirum videri non debeat, ſi quorumdam conatus eluſerit eventus.

Iuris in propoſitiones reſolutio, & rationum inquiſitio.

(§. 6.) Enim vero exponendum nunc erit paullo diſtinctius quid fieri debeat, ſi quis ius civile romanum in formam demonſtrativam redigere velit. Primum itaque requiritur, ut ſinguli iuris tituli in propoſitiones determinatas redigantur, & in rationem inquiratur, cur praedicatum tribuendum ſit ſuo ſubiecto. Cur ab hac parte incipiendum ſit, haud difficulter oſtenditur. Etenim ſi ius civile in formam demonſtrativam redigendum; definitiones foecundae, & demonſtrationes propoſitionum condendae ſunt. Patebit autem ex mox dicendis, quod neutrum fieri poſſit, antequam propoſitiones determinatae proſtent, ut conſtet, quid demonſtrandum ſit, & quaenam per definitiones demonſtrari debeant. Equidem fieri poteſt, ut propoſitiones non rite determinentur, antequam conſtet, quomodo demonſtrari debeant;

 ſed

ſed quum tantummodo deſiderentur determinationes ex ipſis legibus deducendae, in ſubſidium vocatis caſibus, quibus leges applicantur, non vero neceſſe ſit, ut, quemadmodum in iure naturali obtinet, per determinationes ſubiecti praedicatum neceſſario determinetur; non multus metuendus eſt error, &, ſi quis admittitur, in ipſo progreſſu facile corrigitur. Plurimum autem adiumenti hic praeſtat ius naturae in formam demonſtrativam redactum, in quo propoſitiones determinatae naturaliter de iisdem caſibus iam reperiuntur, ut non alio labore opus ſit, quam ut determinationibus naturalibus ſubſtituantur civiles, ſi quidem differentia aliqua inter utraſque intercedit. Si quis in propoſitionibus determinatis concinnandis verſatus fuerit, is non facile a veritate aberrabit, ubi ius in tales reſolvere conabitur, quales per leges eſſe debent. Porro neceſſarium eſt, ut initio laboris in rationem legum ſtatim inquiras, quoniam inde non ſolum patet, quaenam leges a ſe invicem pendeant, & quaenam ex definitionibus fluant; verum etiam quaenam principia in uſum demonſtrationum aſſumenda ſint. Rationem non ſumo alio in ſignificatu, quam quem eidem tribuo in Philoſophia Prima (*a*), ut ſcilicet per eam intelligatur id, unde innoteſcit, cur praedicatum tribuatur ſubiecto. Notionem ſubiecti in propoſitionibus determinatis conſtituit caſus, in quo lex pronunciat, quid iuſtum cenſeri debeat; praedicati autem vicem tuetur id, quod lex iuſtum in illo caſu pronunciat. E gr. in Inſtitutio-

(a) §. 56. Ontol.

cutionibus (a) legitur: *Examen, quod ex alveo tuo evolaverit, eo uſque intelligitur eſſe tuum, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis perſecutio eius eſt.* Verba haec in ſequentem propoſitionem reſolvuntur, ubi determinatam deſideraveris: *Si examen apum ex alveo tuo evolaverit, & adhuc in conſpectu tuo ſit, nec eius perſecutio difficilis ſit; tuum eſt: ſi vero conſpectui tuo ſe ſubduxerit, vel perſecutio eius difficilis ſit; tuum amplius non eſt, ſed nullius.* Caſus, in quo deciditur, quod iuſtum ſit, conſtituitur per tres determinationes, ſc. quod examen apum ex alveo domini evolaverit, quod adhuc ſit in conſpectu domini, & quod dominus ipſum perſequi poſſit haud difficulter. Tres iſtae determinationes notionem ſubiecti conſtituunt, de quo lex pronunciat: eſt nimirum ſubiectum huius legis examen apum ex alveo domini evolans, in conſpectu ipſius manens, nec perſecutionem difficilem reddens. Praedicatum vero eſt, quod examen iſtud maneat domini, ſeu quod in iſto caſu dominium non amittat dominus, ſed demum in oppoſito. Quod ſi ergo quaeſiveris, quaenam ſit legis huius ratio; doceri deſideras, cur dominium non amittatur, quamdiu examen apum, quod ex alveo tuo evolavit, conſpectui tuo ſe non ſubduxit, & ipſum adhuc abſque difficultate perſequi poteris. Rationem igitur is dediſſe cenſendus eſt, qui te docet id, per quod intelligis, cur dominium non amittas in iſto caſu, quod tamen omittis in contrario. Obiter monemus, determinationem tertiam de difficultate perſecutionis tamdiu eſſe vagam, quamdiu non diſtincte ex-

(a) *de Rerum Divis. &c.* §. 14.

explicetur, in quonam difficultas perſecutionis conſiſtat, ita ut in caſu dato oſtendi poſſit, perſecutionem non eſſe difficilem. Quamobrem defectus hic emendari debet ab eo, qui ius in formam demonſtrativam redacturus eſt. Quomodo enim demonſtrabit difficultatem perſecutionis dominum privare dominio, ubi diſtincta difficultatis huius notione deſtituitur, quum eadem definitionem abſolvat, quae in principiorum numerum referenda venit. Opus igitur eſt, ut definitio ſententiae legis conformis condatur, vel determinationes, quae eam ingredi debebant, in ipſa propoſitione verbis vagis ſubſtituantur. Antequam vero doceri poſſit, quomodo ratio legum inquiratur, explicandum videtur, quotuplex ſit legum ratio; neque enim una eſt, propterea quod leges poſitivae ab arbitrio legislatoris pendeant, qui nec intrinſecas ſemper perſpicit, nec ab iis ſolis, verum ſaepiſſime ab extrinſecis pendulam voluntatem habet. Triplicem igitur admittere debemus rationem, moralem ſcilicet, politicam, & hiſtoricam. *Ratio hiſtorica* eſt id, qnod permovit legislatorem, cur talem potius dederit legem, quam aliam. *Rationes morales* ſunt, quae ab eaquitate petuntur, adeoque intrinſecae ſunt, ex notione ſubiecti praedicatum determinantes. *Politicae* denique ſunt, quae a ſtatu reip. deſumuntur ſive in genere, ſivè in ſpecie a reip. romanae forma atque ſtatu. Rationes hiſtoricae ex hiſtoria arceſſendae ac ſaepiſſime occultae ſunt, ut eas fruſtra rimari conemur. Et de his accipio verba *Iuliani*(a): *Non omnium, quae a maioribus conſtituta ſunt, ratio reddi poteſt*. De iiſdem etiam incul-

(a) *l.* 20. *D. de Leg.*

culcandum eſſe iudico, quod praecipitur ipſa lege (*a*): *Rationes eorum, quae conſtituuntur, inquiri non oportet; alioquin multa ex his, que certa ſunt, ſubvertentur* Neque enim habemus hiſtoriam romanam adeo ſpecialem, ut ex eadem doceri poſſit, quaenam occaſionem legi dederint, & a legislatore tamquam finis inendantur. Immo ſi quaedam conſtituuntur, verae rationes non ſemper aperiuntur, ſed praetextu utuntur legislatores. Accidit vero haud raro, ut leges, quarum rationes finales fuerunt ſpuriae, ac minus probandae, ex moralibus tamen ac politicis rationibus ſint tolerandae, immo approbandae. Atque in hoc caſu in primis multa ex his quae certa ſunt, ſubverterentur. Rationes morales ex iure naturali deſumuntur, ut adeo pateat neceſſitas ſtudii iuris naturalis vel hoc nomine, ubi rationes legum ſcrutari, & ius civile in formam demonſtrativam redigere volueris. Rationes politicae generales ex philoſophia civili; ſpeciales ex antiquitatibus romanis derivantur. Morales & politicae ſaepius coniungendae, propterea quod ex legibus naturalibus efficiuntur civiles, quum aliquid iiſdem additur, vel detrahitur, atque ita conſtituunt *rationes mixtas*, quae ex moralibus, & politicis componuntur. Rationes iſtas inquirendas eſſe, nec earum inquiſitionem lege vetari, nemo in dubium vocabit, qui attenta mente legum voluntatem ſcrutatur. Quando enim (*b*) *Modeſtinus* auctor eſt, *nullam iuris rationem aut aequitatis benignitatem pati, ut quae ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore*

(a) *l.* 21. *D. eod. tit.*
(b) *l.* 25. *D. de Leg.*

riore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem; rationes morales, & politicas in legum applicatione attendi iubet. Unde enim iudicari poteſt, interpretationem legum eſſe duriorem, & eas contra hominum commodum ad ſeveritatem produci? Non aliunde profecto, quam ex rationibus moralibus atque politicis. Morales enim docent, quodnam commodum hominum lex reſpiciat, & quomodo ſalubriter pro utilitate eorum introducta fuerit; politicae autem palam faciunt, cur a iure naturali lex recedat, conſequenter ob illas in dato caſu ſpeciali, ad quem legislator non reſpexit, dum ex naturali civilem effecit, non ſit recedendum. Similiter quum *Paullus* (*a*) vetat *ad conſequentias produci, quod contra rationem iuris receptum eſt*; & *Ulpianus* (*b*) iubet *quoties lege aliquid, unum vel alterum introductum eſt, cetera quae tendunt ad eamdem utilitatem vel interpretatione, vel iuriſdictione ſuppleri*; eo ipſo uterque praecipit iuris ſcrutandas eſſe rationes morales atque politicas; quum iis ignoratis vitare nequeas, quod prohibetur, nec facere poſſis, quod iniungitur. Videmus etiam in ipſis legibus provocari tum ad rationes morales, tum ad politicas non minus generales, quam ſpeciales. Sane in adquirendo dominio ferarum, volucrium, & piſcium imperator provocat ad rationem moralem ex iure naturali deſumtam, quod occupanti concedatur naturali ratione, quod ante nullius eſt (*c*): naturalem enim rationem appellat, quam nos moralem dicimus, quia in

(a) *l.* 24. *D. tit. eod.*
(b) *l.* 13. *D. tit. eod.*
(c) *§.* 12. *I. de Rer. Diviſ. &c.*

in iure naturali ratio iuris a natura hominum deſumitur. Commendantur praetorum edicta ab aequitate, quae non aliter innoteſcit, niſi per rationes morales. Provocat ad rationes politicas *Iuſtinianus* (a), oſtenſurus, cur ſenatus conſulta habeant vim legis, quum ex principiis politicis generalibus in democratia, qualis erat reſp. Romanorum, lex eſſe nequeat, niſi quod populus conſtituit: *Quum auctus eſſet*, inquit, *populus romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis ſanciendae cauſſa, aequum viſum eſt ſenatum vice populi conſuli* sc: a conſule, qui antea populum interrogabat. Inſunt verbis hiſce rationes politicae tam generales, quam ſpeciales, quas intelligens, modo attendere velit, facile perſpiciet. Enim vero probe notandum eſt, quum legum civilium una concordia, una conſequentia eſſe debeat, fieri non poſſe, ut ſingularum rationes morales ex iuris naturalis ac politicae principiis immediate deſumantur; quin potius legum plurimarum rationes ex aliis legibus petendas eſſe. Quoniam leges hae ſuas habent rationes morales atque politicas, quatenus aequitati in rep. cuſtodiendae conſentaneae; quae ex iiſdem neceſſaria conſequentia fluunt, eaſdem utique rationes remotas habere debent. Subſiſtendum eſt vero in rationibus proximis, nec ſemper ad remotas recurrendum; id quod quemadmodum ubivis, ita etiam in iure civili obtinet. Rationes igitur ex legibus petitae ſunt rationes morales immediatae, quas ſi *legales* appellare volueris, per nos quidem liceat; modo tibi non perſuadeas omnium omnino legum rationes legales eſſe red-

(a) *§. 5. I. de I. N. G. & C.*

reddendas, aut, ſi quarumdam rationes legales dari non poſſe agnoſcis, quum alias in circulum vitioſum incideres, quo nihil conficitur, legum illarum rationem aliam non admittas, quam ſolum arbitrium ſuperioris, quod vel ratione omni deſtituitur, vel cuius rationem inquiri aut impoſſibile, aut ſaltem ſuperuacaneum putatur. Rationes legales dare nequit, niſi qui leges probe intelligit, & adeo familiares ſibi reddidit, ut notio uni reſpondens ſuſcitet notiones illis legibus reſpondentes, per quas illius ratio reddenda venit. Atque inde eſt, quod legum periti, qui iudicio pollent, ſaepius non infeliciter aſſequantur rationes legales, plurimum adiuturi laborem in demonſtrandis legibus impendendum, etſi alii, qui iudicio deſtituuntur, ineptiant. Leges itaque civiles demonſtraturus hiſtoricam earumdem notitiam ſibi ante comparare debet, quam ad arduum hunc laborem accedat. Quoniam vero rationes, qualeſcumque tandem fuerint, ex notione ſubiecti illius propoſitionis determinatae, in quam lex demonſtranda reſoluta, derivatur, eo prorſus modo, quo in demonſtrationibus utimur, quando a notione ſubiecti inchoatur ratiocinatio (a); ſi quis leges nondum adeo familiares experitur, ut veluti ſponte ſua occurrant in propoſitiones ex notione ſubiecti formatas intento, is ex his ipſis iudiciis perſpicit, quaſnam leges evolvere debeat, modo titulorum obiecta habuerit perſpecta, vel libri indicibus inſtructi ſint ad minus.

Quae in tendendis §. 7. Si rationes legum fuerint manifeſtae, etſi adhuc confuſe cognitae, propior iam ad de-

(a) *Vid.* §. 551. *Log.*

demonſtrandum illas gradus eſt, modo methodi fueris artifex: neque enim demonſtrationes aliud quid ſunt, quam rationum per diſtincta ratiocinia legitima evolutio. Sunt vero demonſtrationum prima omnium principia definitiones. Quamobrem quid in iis condendis obſervari debeat, hic utique exponendum. Equidem de definitionibus in Logica prolixe demonſtravimus integro capite, quae etiam hic obſervanda ſunt (a), aliaque addidimus de definitionibus in ſcriptis dogmaticis tenenda, quae nec hic negligenda ſunt (b); ſed quae alibi ſatis diſtincte, ac perſpicue explicavimus, ea hic repetenda non ſunt. Ea ſaltem recenſebimus, quae huic inſtituto propria ſunt. Definitiones iuris non alio fine condere intendimus, quam ut per eas leges & intelligantur, & demonſtrentur: etſi enim non unica ſint principia, prima tamen ſunt, & potiora, quum abſque iis fruſtra de legibus in formam demonſtrativam redigendis labores. Habent tamen eaedem praeterea uſum prorſus inſignem in applicandis legibus, de quo deinceps dicemus. Definitiones, quas iurisconſultis veteribus romanis debemus, inſtituto tam arduo, quod meditamur, non ſufficere, ſupra iam monuimus (§. 5.); non invitis tamen doctoribus emendari poſſunt, quum valeant tamquam leges, quatenus in corpore iuris continentur, non autem tamquam definitiones, quatenus regulis logicis repugnant. Auctoritas legem facere poteſt, definitionem facere nequit, cuius veritas ab immutabilibus legibus logicis pendet, quae ipſi rerum natu- *definitionibus ſint obſervanda.*

rae

(a) *§.* 152., *& ſeqq. Log.*
(b) *§.* 823. 824. 835. *& ſeqq.* 914. *& ſeqq.*

rae inſitae ſunt, quemadmodum ex principiis noſtris ontologicis (*a*), & logicis (*b*) perſpicue intelligitur, & circa quas nullus ſuperior diſpenſare poteſt, quum rerum eſſentias in ſe immutabiles (*c*) mutare nequeat. Diſtinximus ſuperius (§. 5.) duos caſus, de quibus ſigillatim nos ſententiam noſtram dicturos eſſe promiſimus. Liberabimus iam fidem noſtram, & primo dicemus de illis definitionibus, quae emendantur, dum iis reſpondens notio confuſa diſtincta redditur. Definitio unaquaeque ex intrinſecis rei determinationibus conſtat, quarum illae eamdem ingredi debent, quae per ſe invicem non determinantur, per quae tamen determinantur cetera rei definitae praedicata abſoluta. Si cui quaedam obſcurius dicta videantur, is agnoſcat non poſſe hic doceri, quae ex Logica, & Ontologia addiſcenda veniunt; obiter tamen notet, per determinationem intrinſecam hic intelligi, quidquid rei ineſt, & unam determinationem determinari per alteram, ſi alterum, quod rei ineſt, abeſſe nequeat, ſiquidem inſit primum; abſoluta autem eſſe praedicata, quae de re in ſe ſpectata, citra relationem ad alias enunciari poſſunt. Iam ſi res certa ſit, de qua definitio iuriſconſulti loquitur, ad eam animum advertere debemus, ut in ea diſtinguamus, quae eidem inſunt, ac inde ſeparemus ea, quae definitionem ingredi debent. Ita nimirum accuratam obtinemus rei, ad quam ſpectat definitio iuriſconſultorum emendanda, definitionem, modo rem intime perſpicere,

(a) §. 142. *& ſeqq.* 236. *& ſeqq. Ontol.*
(b) §. 172. *& ſeqq. Log.*
(c) §. 300. *Log.*

Digitized by Google

cere, & regulas definiendi logicas dextre applicare nobis datum fuerit. Notandum vero eſt, praeter determinationes neceſſarias, quas in iure naturali ſolas attendi convenit, in iure civili etiam arbitrarias locum habere. Etenim quum ius civile ex naturali efficiatur, quatenus aliquid huic vel additur, vel detrahitur; hoc ipſo quaedam aliter determinantur, quam iure naturali determinata ſunt. Unde enaſcuntur determinationes arbitrariae, quae etſi principio convenientiae nitantur, a neceſſitate tamen exemtae ſunt, atque ita ab arbitrio ſuperioris vel legiſlatoris pendent. Tales determinationes ſunt in tutela, quod tutor eſſe debeat civis romanus; in teſtamento, quod ſeptem teſtes, aliaeque ſollemnitates quaedam requirantur; in pactis ea, quae extrinſecus accedere debent, ut iure romano obligent. Habent illae ſuas rationes, ſed non neceſſarias, quae ſive lateant, ſive pateant, parum refert. Aequipollent enim definitiones, quas ingrediuntur, nominalibus, quas arbitrarias eſſe conſtat. Pertinent adeo illae determinationes inter principia, quae ſumuntur, non probantur, ubi cetera demonſtrare volueris, quemadmodum in ipſa matheſi ſumitur progreſſio numerorum naturalium, ſumuntur characteres, quibus iidem notantur, ſumuntur ſigna operationum arithmeticarum ſeu ſpecierum algorithmi, diviſio circuli in 360. gradus, & generaliter diviſio integri in partes ſecundum rationem ſexagecuplam. Non tamen ideo prorſus inutile noſſe rationes illarum determinationum, ut ut tuto ignorentur, quamdiu demonſtrationis unice habenda eſt ratio, quemadmodum in matheſi non omni utilitate

caret, ſi illorum ratio redditur, quae pro arbitrio determinari poſſunt, etſi demonſtranti perinde ſit, utrum aliquam habeant rationem, an nullam, & utrum hanc habeant, an aliam. Immo determinationes in iure arbitrariae ad principia quaedam generalia neceſſaria revocari poſſunt, quae tamen hoc ipſo in eas non niſi remote influunt, nec ad eas ponendas ſufficiunt, quia generalia ſunt; quemadmodum in matheſi, quae arbitraria ſunt, veluti characteres numerorum, & ſigna algorithmi, in principia generalia neceſſaria, aeternas veluti artis characteriſticae veritates, reſolvuntur; etſi illa non ſufficiant ad arbitraria iſta in ſpecie determinanda. Quamvis autem vi iſtorum principiorum generalium demonſtrari poſſint; iſtae tamen demonſtrationes perinde ex iuriſprudentia demonſtrativa exſulare debent, quemadmodum ex matheſi per tot ſaecula ſalva ſumma eius certitudine exſularunt. Erit tamen tempus, quo in univerſalia magis intenti, quam praeſens aetas fert, condent diſciplinas, quibus demonſtrationes iſtiuſmodi conveniunt. In concinnandis autem definitionibus iuridicis danda in primis opera eſt, ut omnes determinationes ingrediantur, quibus ad demonſtrandas leges, quae formam propoſitionum categoricarum habent, nec ad hypotheticas revocari poſſunt, niſi quatenus conditionis loco ponatur definitio, opus eſt: quod ut appareat, propoſitiones, quarum praedicata ſunt abſoluta, demonſtrandae ſunt. Sic enim demum certo conſtabit, te nihil in definitione omiſiſſe, quod in eadem locum habet; nec quidquam in eamdem admiſiſſe, quod ex ea exſulare debet. Equidem

quidem non nego, definitiones, tamquam prima demonſtrandi principia, eſſe primas in intentione; ob ea tamen quae modo diximus, eas ultimas eſſe debere in exſequutione, qui acumine utitur, facile perſpiciet. Et hoc ipſo palam fit, definitiones, quas condimus, eſſe menti iuriſconſultorum romanorum conformes. Si enim praedicata abſoluta legitimo ratiocinio inde deduci poſſint; id indicio eſt, rem definitam eſſe eamdem, de qua leges loquuntur, conſequenter menti iuriſconſultorum conformem. Ubi vero iam vera, & genuina rei definitio proſtat, haud difficulter quoque oſtendere licet, quaenam notiones verbis ipſorum reſpondeant, quae eloquuti ſunt definitionem ſuam concinnantes. Atque ita clariſſime evincitur, notionem confuſam, quae definitioni iuriſconſultorum romanorum reſpondet, ad diſtinctam rite fuiſſe revocatam. Quoniam exempla huc ſpectantia iam dedimus, quum definitiones iuris naturae, gentium, & civilis, atque iuſtitiae interpretaremur; ſi ab iis diſceſſeris, quae de arbitrariis determinationibus dicta ſunt, clariſſimam lucem hactenus dictis per ea affundere licet. De caſu altero definitionum, quarum determinationes ex legibus eruendae ſunt, notandum in primis eſt, quod ante tentandae ſint propoſitionum, in quas leges reſolvimus, demonſtrationes, quam de definitionibus ſtatui certi quid poſſit. Per has enim demonſtrationes non modo innoteſcit, quaenam de re ſumi debeant, ut, quod leges praecipiunt, inde demonſtrari queat; verum etiam pateſcit, quaenam ſint ea, quae per ſe invicem demonſtrari

nequeant. Utrumque autem exploratum eſſe debet, ubi in definitione concinnanda nihil ponendum, quod ex ea proſcribitur, nec ex ea omittendum, quod locum ſibi in eadem vindicat. Quoniam definitiones, quae in corpore iuris exſtant, ſpectantur tamquam leges, non tamquam definitiones, ideo perinde ac leges in propoſitiones reſolvendae ſunt, perinde ac ſi definitio omnis prorſus abeſſet, &, quae hinc prodeunt, propoſitiones ceteris adiiciendae. Etenim ea praedicata, quae, quod ſuo conveniant ſubiecto, abſque circulo vitioſo demonſtrari nequit, de ſubiecto aſſumi atque adeo definitionem ingredi debent. Quamvis vero praecepta logica promiſcue omnia, quemadmodum paullo ante monuimus, in condendis definitionibus iuris uſui eſſe poſſunt; in iis tamen praecipue caſibus, ubi genus in ſuas ſpecies diſtribuitur, egregio prorſus adiumento ſunt, quae de notionibus ſpecierum ex data notione generis, vel notione ſpeciei unius formandis praecepimus (a). Hac ſane methodo per compendium determinantur ea, quae definitionem ingredi debent, & quae methodo anteriore non ſine taedioſis ambagibus venari daretur. Et ſi hac via ad definitiones pervenitur, eas eſſe exactas iudicare licet, antequam leges inde pendentes demonſtrentur, ut ut per earum demonſtrationes idem confirmetur, dum ſcilicet opere ipſo experimur, quod demonſtrandi principium ſufficiens praebeant. Quemadmodum vero in omni cognitione reliqua accidit, ut ex iis, quae ex aliis notionibus demonſtrata ſunt, condantur definitiones; ita idem quoque in iure civili obti-

(a) §. 712. 714. *Log.*

obtinet. Sane manumiſſio ſervorum demonſtrari poteſt, ſi rem ipſam ſpectes, abſque definitione; iis autem demonſtratis, quae circa eam iuris ſunt, definitionem manumiſſionis condere licet. Obtinet hoc eo potiſſimum in caſu, quo termini introducti ſunt, ut ſint compendium loquendi, quum res ipſa per alia principia intelligi poſſit abſque confuſione, etiam ſi peculiari nomine non exprimatur.

Quae circa principia cetera ſunt obſervanda.

§. 8. Principia demonſtrandi appellamus propoſitiones omnes, quae in ſyllogiſmis, ex quibus demonſtrationes concatenantur, locum maioris tuentur (*a*). Sunt igitur praeter definitiones propoſitiones ex philoſophia prima, morali, & civili, atque iure naturali mutuatae, rationes a forma reipublicae romanae deſumtae; aut potius propoſitiones, quae iſtis rationibus nituntur, tandemque propoſitiones, quae vi definitionum, nominalium praeſertim, ſeu explicationis terminorum, abſque probatione ſumi poſſunt. His accedunt ipſae leges iam antea independenter ab iis, quarum demonſtrationem ingrediuntur, demonſtratae. De legibus anterioribus demonſtratis iam non agimus; ſed tantummodo de ceteris, quae in iure abſque probatione ſumenda ſunt. Principia illa vel neceſſaria ſunt, quorum immutabilis eſt veritas, ita ut eorum oppoſitum ſit abſurdum, vel arbitraria, quibus alia ſubſtituere licet, ceteris ſalvis. Inter neceſſaria primum ſibi locum vindicant, quae ex philoſophia prima, morali, & civili, atque iure in primis naturali deſumuntur, ibidemque demonſtrantur. Ea utique praeſupponenda ſunt, quum eorumdem demonſtratio

(a) §. 561. *Log.*

ſtratio in iure ſit impoſſibilis, propterea quod una propoſitio ſine aliis multis demonſtrari nequeat, ita ut vel integrae diſciplinae philoſophicae iuri inſerendae eſſent, ſi nihil abſque probatione ſumi deberet. In aſtronomia inter principia demonſtrandi locum habent propoſitiones geometricae, in Elementis demonſtratae. Ecquis vero in ſyſtemate aſtronomiae, ut ſit demonſtrativum, deſideret propoſitiones euclideas demonſtrari, propterea quod geometriae ſtudium neglexit, neque adeo veritatis earum convictus eſt? Quemadmodum itaque geometriae, arithmeticae, ac trigonometriae principia ſibi familiaria reddere tenetur; qui in aſtronomia certam cognitionem expetit; ita ſimiliter in philoſophia prima, morali, & civili, atque iure naturae multus quis eſſe debet, antequam ad ius civile accedat, ſi certam iuris huius ſcientiam ſibi comparare voluerit. Idem vero multo magis requiritur in eo, qui iuris diſciplinam in formam demonſtrativam redigere voluerit, ut adeo hinc liqueat, cur fruſtraneus fuerit eorum conatus, qui, quum eſſent methodi demonſtrativae rudes, atque ignavi, certaque principiorum philoſophiae primae, moralis, atque civilis cognitione deſtituerentur, opus tam arduum moliebantur. Praeſupponit iuriſprudentiae civilis ſyſtema demonſtrativum illas philoſophiae partes in ſyſtemata ſimilia redactas, ſiquidem nihil admittendum, quod non ſit demonſtratum. Et ubi iſtiuſmodi ſyſtemata philoſophica proſtant, ius civile cum philoſophia arcto adeo vinculo connectere licet, quo partes matheſeos mixtae cum pura, veluti aſtronomia cum geometria,

trigo-

trigonometria, & arithmetica, vel etiam recentior aſtronomia phyſica cum mechanica connectuntur. Quamdiu vero ſyſtemata iſtiuſmodi philoſophica deſiderantur, methodi artifex ius quidem civile demonſtrativum condet, modo principiorum philoſophicorum fueris gnarus: ſed principia philoſophica vel ſumere debet eo in loco, quo in demonſtrationibus iiſdem opus habet, vel per modum axiomatum definitionibus ſubiicere; quemadmodum *Erhardus Weigelius* (a) partem aſtronomiae ſphaericam demonſtraturus definitionibus ſub titulo axiomatum ſubiecit propoſitiones euclideas, quibus utitur in demonſtrando; vel, quod conſultius videbatur, utpote legibus methodi demonſtrativae magis conveniens, inſtar lemmatum ipſis propoſitionibus, quarum demonſtrationes primum ingrediuntur, praemittere debet, demonſtratione ex philoſophia praeſuppoſita. Principia neceſſaria porro ſunt ea, quae vi definitionum in iure ſumi debent. Atque haec ſunt axiomata iuri propria, vel definitionibus, per quas eorum veritas patet, ſubiicienda, vel propoſitionibus, in quibus primus eorumdem uſus eſt, praemittenda. Principia arbitraria reſpondent hypotheſibus; quae ad arbitrium ſumuntur de iſtiuſmodi rebus, quae ceteris ſalvis diverſo modo determinari poſſunt. Ea igitur illis locis reponenda ſunt, in quibus cetera ponuntur principia, quibus una cum ipſis in demonſtrando opus habemus. Enimvero palmaria quaeſtio circa principia huc redit, unde innoteſcant, quaenam aſſumenda ſint, & quot eorum aſſumi conveniat,

(a) *in Sphaerica Euclidea*.

niat, ne vel praemittantur, quae, quum nullum habeant in ſequentibus uſum, ſuperflua ſunt, vel deficiant ea, ſine quibus demonſtratio completa fieri nequit. Etſi reſponſio difficilis videatur illis, qui in demonſtrationibus condendis nondum ſunt verſati; revera tamen nihil difficultatis habet. Etenim ubi demonſtrationes actu condimus, ipſo opere addiſcimus, quibusnam, & quot principiis opus habeamus. Non alia re opus eſt, quam ut ſedulo adnotentur ſingula, quibus in ratiocinando utimur, dum iuxta formam genuinae demonſtrationis (*a*) ex notione ſubiecti eruimus praedicatum. Quum uſum logicae ampliſſimum doceremus, modum quoque reducendi demonſtrationem propoſitionis cuiuſcumque ad formam geometricae declaravimus, & exemplo illuſtravimus (*b*). Ex illo perſpicere licet, quomodo principia, quae demonſtrationes ingrediuntur, certiſſime detegere licet, quae abſque demonſtratione ſumenda ſunt. Tota nimirum demonſtratio reſolvenda eſt in ſyllogiſmos formales, atque ita ipſis ſenſibus manifeſtum erit, quaenam ſine probatione aſſumi debeant: illae ſcilicet propoſitiones inſtar axiomatum ſumuntur, quarum ulterior probatio non requiritur, etſi alibi demonſtratae non ſupponantur. Artificio iſto etiam hic uti datur, etſi eodem opus non habeant, qui, quum ſint artifices methodi, abſque iſta reſolutione principia ſine probatione admittenda advertunt, ut ipſis verendum non ſit, ne quod forſan defectu attentionis negligatur. Subinde

(a) §. 551. *Log.*
(b) §. 801. *Log.*

inde etiam ſingulari quodam modo incidimus in principia tum demonſtrativa, tum demonſtrationis minime indiga. Obtinet hoc in eo caſu, ubi plures concluſiones ex notione ſubiecti ratiocinando collegimus, quorum notionibus in unam collectis prodit propoſitio, quae ad propoſitionem demonſtrandam aptata enthymema exhibet, cui conveniens maior, quae deeſt, nulla opera ſuppletur. Plura notatu digna moneri poterant; ſed talia reſervanda ſunt arti inveniendi, in qua propria eorum ſedes eſt. Obiter monemus, hoc artificio uſos eſſe ipſos mathematicos praeclari nominis. Exemplo eſſe poterat *Hugenius* in theoria centri oſcillationis, immo & in theoria motus ex percuſſione corporum, ſiquidem hic oſtendi poterat, quod abſque ambagibus oſtendere non licet.

§. 9. Accedimus iam ad propoſitiones demonſtrativas, de quibus tria tenenda ſunt, 1. quomodo propoſitiones demonſtrandae ad talem formam redigantur, ut fiant demonſtrabiles; 2. quomodo demonſtrationes condantur; & 3. quo ordine propoſitiones tum demum demonſtrabiles ſunt, quando ita determinantur, ſeu ita enunciantur, ut per notionem ſubiecti determinetur praedicatum. Determinatur autem per notionem ſubiecti praedicatum, ſi notio ſubiecti reſolvatur in propoſitiones, quibus in ſyllogiſmis pro minoribus ſumtis, iuxta formam ratiocinandi in demonſtrando obſervandam (a), elicitur tandem propoſitio ad demonſtrandum propoſita tamquam concluſio. Quamobrem ex ipſo ſucceſſu pateſcit, utrum propoſitio rite fue-

Quaenam circa propoſitiones obſervari debeant.

(a) §. 551. & *ſeqq. Log.*

fuerit determinata, nec ne. Ceterum hic probe conſideranda ſunt, quae de reſolutione iuris in propoſitiones dicta ſunt in ſuperioribus (§. 6.). Formam demonſtrationum adeo diſtincte in Logica (*a*) delineavimus, ut nihil de ea amplius addendum ſuperſit. Et ſi qua praeterea non inutiliter monenda veniunt, ea paſſim in Opere Logico adnotavimus, ope indicis facile invenienda. Neque vero exiſtimandum eſt, formam demonſtrationum in iure aliam eſſe debere, quam in matheſi. Forma enim demonſtrandi pendet a natura mentis humanae, eodem prorſus modo de obiecto quocumque ratiocinantis; non vero ab obiecto de quo ratiocinamur. Hinc logica non niſi una eſt, nec alia utitur mathematicus, alia philoſophus, alia iuriſconſultus, alia theologus. Syllogiſmus eamdem formam tenet in matheſi, philoſophia, iuriſprudentia, ipſa theologia, immo in communi quoque vita, id quod in primis in Psychologia Empirica dilucide oſtendi (*b*). Quemadmodum geometria, immo tota matheſis pura pendet a notionibus communibus quoad principia, quemadmodum ex Opere noſtro Ontologico palam fit, ubi notiones ipſas communes a priori demonſtravimus; ita ſimiliter forma ratiocinandi in eadem matheſi pendet a communi more ratiocinandi, quo utuntur homines in univerſum omnes in quibuſvis obviis vitae negotiis, ſi ipſum modum concatenandi, & per legitimam concatenationem continuandi ratiociniorum ſeriem ſpectes. Quamobrem dudum docui-

(*a*) §. 551. & ſeqq.
(*b*) §. 342. *Met.*

tuimus (a), probationem probabilem a demonſtratione, non forma, ſed tantummodo principiis differre. Communiter enim auctores nihil diſtincte probant; ſed in uſum ſaltem memoriae principia quaedam demonſtrandi indicant, quorum demum evolutione conficitur vel demonſtratio, vel probatio pro diverſitate materiae. Atque ideo non mirum eſt, quod in matheſi hoſpites omni demonſtrationis idea deſtituantur, & pro demonſtrationibus venditent, quae ab iis magis differunt, quam truncus arboris ab homine vivo, non niſi a ſui ſimilibus pro demonſtratoribus habendi. Neque etiam mirum videri debet, quod in matheſi cum laude verſati, ſed logicae verioris notitia non imbuti, methodum, qua utuntur mathematici, ad notiones diſtinctas revocantes, diſtincta demonſtrationis notione carentes, veram eius formam extra matheſin non exprimant, ut ut propius ad eam accedere videantur ceteris, ſtatuam humanam cum homine vivo confundentes. Etſi quis vel maxime formam demonſtrandi genuinam diſtincte animo conceperit, non tamen in applicandis regulis artificem ſe probare valet, niſi multo uſu eam ſibi facultatem comparaverit: Et ubi formam in demonſtrando ſanctiſſime cuſtodire didiceris; non tamen dabis demonſtrationes a naevis liberas, niſi rei demonſtrandae diſtinctam habueris notionem, & principia demonſtrandi familiaria experiaris. Utinam ſingula probe perpenderent, qui plus de facultatibus ſuis ſperant, quam in iis eſt! Enim vero reſtat, ut tandem de ordine dicamus, quo ſingulae collocandae ſunt definitiones, & propoſitiones

(a) §. 588. Log.

nes. Non alia hic obſervanda eſt lex, quam quae ubivis cuſtodienda, ubi methodi demonſtrativae rationem habere volueris. Nimirum definitiones praecedere debent, quarum definita ingrediuntur tamquam notae definitiones alias: ita enim & definitiones ſequentes intelliguntur per antecedentes, & circulus in definiendo evitatur methodo demonſtrativae maxime adverſus. Similiter propoſitiones praecedere debent, quae tamquam principia ingrediuntur aliarum demonſtrationes: ita enim & principia certa ſunt, & circulus in demonſtrando evitatur methodo demonſtrativae e diametro adverſus. Quamobrem ordo ſua ſeſe ſponte offert, ubi demonſtrationes condere aggrederis. Quamprimum enim principiis opus habes, quae in anterioribus demonſtrata nondum fuere, ea propoſitioni, quae prae manibus eſt, praemittenda eſſe apparet. Quod ſi demonſtrationem huius propoſitionis denuo ingrediantur aliae, quas in anterioribus nondum expoſuiſti, hae ipſae quoque eidem praemittendae erunt, donec ad tales perveneris, ad quas demonſtrandas principiis aliis opus non habes, quam quae ex anterioribus aſſumere licet. Qui diſciplinas ad formam demonſtrativam revocarunt, illi recordabuntur, ſe ad ordinandas propoſitiones aliis regulis non habuiſſe opus.

An in ſyſtemate demonſtrativo ordo titulorum iuris receptus retineri poſſit.

§. 10. Ex dictis liquet, ſi leges civiles ad formam demonſtrativam reducere volueris, eas ita ordinandas eſſe, ut poſteriores pendeant a prioribus ſeu ſequentes ab antecedentibus. Titulos, neque in Pandectis, neque in Inſtitutionibus, ea lege ſe invicem excipere, ut leges in ſequentibus pendeant a legibus in antecedentibus, vel exinde colligitur, quod in titulis an-

antecedentibus occurrant termini, qui demum in titulis ſequentibus explicantur. Ita quando de ſervis praecipiuntur, quae tenenda ſunt, ſervi dicuntur eſſe in dominio quiritium, quum quid ſit dominium demum explicetur multo inferius, ubi ius in re exponitur. Servi dicuntur poſſe vendi, quum contractus emtionis venditionis demum explanetur multo adhuc inferius, ubi de iure ad rem agitur, & contractus explicantur, per quos iſtud adquiritur. Antequam igitur in ſyſtemate explicare poſſis, quid ſit eſſe in dominio quiritium; notio dominii evolvenda eſt. Et prius quam affirmare licet, ſervos vendi poſſe, contractus emtionis venditionis definiendus. Intelligitur porro ex eo, titulos non reſpicere mutuam legum a ſe invicem dependentiam in Inſtitutionibns atque Pandectis, quod leges in titulis anterioribus demonſtraturus tamquam principia ſumere debeat leges ex titulis ſequentibus. Ita demonſtraturus ſervos poſſe vendi, ſupponere debet, non poſſe vendi, niſi ea, quae ſunt in dominio noſtro, ſeu quae alienare valemus. Demonſtrandum igitur ante eſt, ex iure dominii fluere ius alienandi, & hoc ſub ſe comprehendere ius vendendi. Tituli igitur non ordinantur ea lege, quam cuſtodire debemus, ubi leges demonſtrare voluerimus: atque adeo oleum atque operam perdes, ubi obſervato titulorum communi ordine leges demonſtrare volueris, quum is ordini in ſyſtemate demonſtrativo obſervando abſolute repugnet. Quod ſi igitur ſive Pandectarum, ſive Inſtitutionum ordinem quoad titulos ſequi volueris, quemadmodum fere moris eſt; abſolute impoſſibile videtur, ut leges demonſtres. Eſt id

id profecto impoſſibile, niſi ſingularem quamdam medelam afferas. Nimirum praemittenda ſunt principia iuris, quae iſagogen quamdam ad iuriſprudentiam exhibent. In eorum numerum referenda, quae ad titulos anteriores intelligendos, vel eorum leges demonſtrandas ſupponenda ſunt ex inferioribus. Ne vero numerus eorum excreſcat, & maximam legum partem ad ſe rapiat illa iſagoge, quae non niſi viam ad iuriſprudentiam pandere debet; quaedam ex titulis praecedentibus reiicienda ſunt in ſequentes. Ita in titulum de emtione venditione reiici poteſt propoſitio de ſervis vendendis, neque adeo opus eſt, ut propoſitiones longe plurimae, quae demonſtrationem illius ingrediuntur, vel ut principia proxima, vel ut remota, in iſagoge illa collocentur. Quod ſi ſyſtema philoſophiae practicae methodo demonſtrativa adornatum, quale, ſi Deus voluerit, poſt Metaphyſicam dabimus, proſtet, atque ad id iuriſprudentia referatur, ut cum philoſophia connexa tradatur, miro ſtudioſorum iuris emolumento; aut illa iſagoge prorſus carere licebit, aut principiorum numerus valde coarctari poterit, etiam ſi in ſyſtemate demonſtrativo titulorum ordinem retinere volueris, qui vel in Pandectis, vel in Inſtitutionibus occurrit. Si a citatione diſceſſeris, qua utuntur iuriſconſulti, & cui alio artificio facile ſuccurritur, quali uſus eſt vir conſultiſſimus, *Chriſtophorus Henricus Freiesleben* (a); nullam video rationem, cur titulorum ordo, qui vel in Inſtitutionibus, vel in Pandectis occurrit, in iuriſprudentiae demonſtrativae ſyſtemate adeo ſollicite ſit obſer-

(a) *in Corpore Iuris Civilis Academico Altenburgi* 1721. *edito.*

ſervandus; quum leges ſcholae methodo digeſtae ſint, qua memoriae conſulitur, ſyſtema autem demonſtrativum methodum ſcientificam poſtulet ab illa prorſus diverſam. Neque profecto inſolitum eſt leges alio ordine proponere, quam qui in Inſtitutionibus, vel Pandectis comparet. Habemus enim praeeuntem iuriſconſultum helmſtadienſem celeberrimum *Iohannem Paullum Kreſſium* (a), qui contra Inſtitutionum ordinem a iure rerum orditur, & ius perſonarum ultimo loco pertractat; propterea quod ius perſonarum abſque iure rerum non ſatis intelligere datur, quemadmodum & paullo ante de ſervis allatum exemplum confirmat. Et iuriſconſultus lipſienſis *Titius* (b), quum iuriſprudentiae ſyſtema condere vellet, in quo leges inter ſe cohaerent, alium prorſus titulorum ordinem fecit, quam qui vel in Pandectis, vel in Inſtitutionibus occurrit. Neque inſolens eſt ad alium titulum referri leges, quam cui in corpore iuris civilis tribuuntur. Sufficit hic provocare ad virum perilluſtrem *Bergerum*, qui ut memoriae conſuleret, leges de eodem obiecto agentes in eumdem titulum coniecit, etſi per plures titulos in corpore iuris diſperſas (c). Immo ipſe *Tribonianus* in Inſtitutionibus a ſerie titulorum, quae in Pandectis comparet, receſſit, & in eodem titulo poſuit, quae in diverſis deprehenduntur in Pandectis. Nulla igitur neceſſitas iubet, ut in trahenda iuriſprudentia civili titulorum ordini inhaereamus, qui vel in Pandectis, vel in Inſtitutionibus occurrit, ubi leges

(a) *in Specimine Iuriſprudentiae Civilis Forenſis.*
(b) *in Iure Privato Romano Germanico.*
(c) *in Oeconomia Iuris.*

leges demonſtrare voluerimus. Conſultius omnino eſt ſequi quam ſtrictiſſime ordinem, qui lege methodi demonſtrativae praeſcribitur, quam, ipſa invita, neſcio quam ob ſuperſtitionem retinere ſcholae ordinem, & per remedia anxie quaeſita eum cum ordine naturae in gratiam revocare. Quod ſi tamen iſagogen illam conſcribere volueris; totum iuriſprudentiae ſyſtema ante condendum, in quo ordine naturali ſecundum mutuam a ſe invicem dependentiam, leges omnes cum definitionibus ac principiis neceſſariis ordinentur. Tum enim demum apparebit, quaenam leges commode ex titulo aliquo praecedente in alium ſequentem reiiciantur, & quae in numerum principiorum referenda locum in iſagoge ſibi vindicent. Si tamen, quod verum eſt, ingenue fatendum, ſyſtema ordine naturali digeſtum praeſtat alteri, quod titulorum receptum conſervat ordinem; quum multo clarius mentis aciem perſtringat veritas in ſyſtemate priori, quam in poſteriore, ubi a ſe invicem divulſa ſunt, quae inter ſe connexa, & uno quaſi obtutu comprehenſa multo pulchriora apparent ob ſenſum quippe perfectionis delectantia. Facilius quoque ſingula intelliguntur, quum principia recentius memoriae impreſſa ſint clariora, quam ubi quaſi e longinquo petenda ſunt, olim in iſagoge quidam intellecta; ſed non adeo firmiter memoriae infixa, ut, quando iis opus habemus, veluti ſponte ſua nobis occurrant, ſenſumque certitudinis ſecum vehant. Immo nec taedioſum eſt principia ſibi familiaria reddere, propterea quum feſtinata applicatione ſtatim conſpiciatur illorum uſus, repetita vero applicatione, & clariora evadant, & memo-

moriae tenacius adhaereant. Quod ſi tamen praeiudicio eorum, qui auctoritate pollent, aliquid dandum; ſcholae ordinem cum ordine naturae tantiſper coniungi convenit, quantum datur, donec praeiudiciorum nebulae penitus fuerint fugatae.

Quomodo titulus unus in formam demonſtrativam redigatur.

§. 11. Vidimus hactenus, quid fieri debeat, ut ſyſtema iuris integrum in formam demonſtrativam redigatur. Reſtat, ut oſtendamus, quomodo eadem forma veſtiatur titulus unus. Parum differt labor a praecedente, quemadmodum ex ſequentibus apparet. Nimirum initium hic quoque fieri debet a reſolutione tituli in propoſitiones determinatas. Habet enim ea uſum multiplicem, eumque prorſus indiſpenſabilem. Ex ea perſpicitur, quomodo conſtrui debeant definitiones, ut nec plures, nec pauciores contineant determinationes, quam quas ingredi fas eſt; & quot condi oporteat, ut nihil in titulo occurrat, quod ſit obſcurum. Ex ea porro intelligitur, quomodo ordinatae ſint propoſitiones, ut a ſe invicem pendeant. Immo ex praedicatis propoſitionum plerumque colligitur, ex quibus titulis aliis mutuo petenda ſint principia. Dein condendae ſunt definitiones tum attentione ad rem ipſam directa, quemadmodum in Logica (a) praecipitur, tum ad propoſitiones, in quas titulus reſolutus, habita, eruendo determinationes, ex quibus conſtare debet. Quod ſi enim contingat, quasdam fuiſſe praetermiſſas, aut forte plures, quam par erat, in eamdem fuiſſe admiſſas; in progreſſu defectus facile ſuppletur, & determinationes ſuperfluae eliminantur, ſingulisque tituli demonſtra-

(a) §. 682. *Log.*

ſtrationibus abſolutis eas exactas eſſe demonſtrari poteſt, etſi demonſtrationem addi nec opus ſit, nec moris, praeſertim quum definitiones ſumantur pro nominalibus, hoc eſt, arbitrariis terminorum explicationibus. Tandem propoſitionum demonſtrationes aggrediamur neceſſe eſt, quas, ſi lubet, etiam ante conditas definitiones aggredi licet, ſi definitiones in corpore iuris vel in libris iuriſconſultorum proſtantes ſimul in propoſitiones reſolveris, quemadmodum ſupra (§. 7.) praecepimus. Dabimus in poſterum ſpecimen demonſtrationum in iure, ut genuinum a ſpurio ſeparare diſcant, qui illas quaerunt, nec ſibi ſcorias pro auro obtrudi improvide patiantur.

Qua ratione diſſertationes methodo demonſtrativa conſcribantur

§. 12. Si quis denique diſſertationem aliquam methodo demonſtrativa conſcribere velit, duo caſus a ſe invicem probe ſunt diſtinguendi. Etenim aut propoſitiones, quas demonſtrare intendit, iam ab aliis ſunt inventae, aut demum ſi non omnes, ſaltem aliquae a nobis adhuc ſunt inveniendae. Caſus prior in diſſertationibus iuridicis potiſſimus eſt; poſterior rarius obtinet, praeſertim quando nobis cum iure civili, non naturali ſermo fuerit. In priori itaque caſu tantummodo opus eſt, ut propoſitiones ſingulae colligantur, quae apud auctores paſſim exſtant, & caſus ſpeciales, qui occurrunt, in propoſitiones reſolvantur, atque collectae demonſtrentur, & ordinentur. Quod ſi demonſtrationem tentaveris iuxta regulas, quas in Logica (a) ſatis dilucide propoſuimus; ſtatim apparebit, tum quibus principiis opus habeas, tum quaenam propoſitiones pendeant ab aliis. Atque hac ratione principia ſub definitionum,

(a) *§. 551. & ſeqq. Log.*

Digitized by Google

num, axiomatum, & hypotheſium titulo praemittenda adnotare licebit. Conſpectui tuo ſeſe offerent leges, quibus ad demonſtrationes conficiendas opus habes. Iſtas autem leges, quum ſint principia cognita atque conceſſa, non opus eſt ut praemittas; ſed ſufficit eas allegari eo in loco, ubi iisdem opus habueris. Si quis vero methodi demonſtrativae nondum fuerit adeo gnarus, neque in ratiocinando tantopere exercitatus, ut ex notione ſubiecti continuo ratiocinationis filo propoſitiones ad demonſtrandum propoſitas inſtar concluſionum deducere poſſit; illo utendum eſt artificio, quod ſuperius (§.8.) ex Logica (a) commendavimus. Quod ſi vero quidam fuerint, qui in ratiociniis concatenandis nondum ſunt verſati, nec propoſitiones determinatas familiares experiuntur, quibus tamquam principiis in ratiocinando opus eſt; illis nullas praeſcribere licet regulas, quibus adiuti diſſertationem aliquam methodo demonſtrativa conſcribant. Ignaro artis nemo regulas dabit, quarum auxilio idem cum artifice perito praeſtabit. Si quis vero in demonſtrando fuerit artifex, eidem abunde ſufficiunt, quae a nobis dicta ſunt. Nihil igitur de caſu priori addimus. Quod caſum poſteriorem ſpectat, quo propoſitiones quaedam adhuc inveniendae ſunt: de eo peculiaria nonnulla adnotanda veniunt. Etenim primo loco determinandi ſunt caſus per circumſtantiarum variationem, aut caſus, quos praxis ſuggerit, apud auctores paſſim obvii colligendi. Iam determinationes, quibus caſus iſti a ſe invicem differunt, ſumendae ſunt pro notione ſubiecti, & huic inde eruendum eſt conveni-

N 2

(a) §. 801. *Log.*

veniens praedicatum. In eruendo praedicato eodem prorſus modo procedendum, quo in demonſtrationibus ordinatis procedimus (*a*). Sed quum ars inveniendi inter paucos omnino diſtributa ſit; non opus eſt, ut de his plura dicamus.

Utilitas iuris in formam demonſtrativam redacti.

§. 13. Rem maxime difficultatis ac laboris plurimi eſſe vidimus ius civile romanum in formam demonſtrativam redigere. Erunt igitur, qui exiſtimaturi ſunt operae pretium non eſſe, ut quis tam arduum opus moliatur, propterea quod legum idem ſit valor, ſive demonſtrentur, ſive abſque demonſtratione diſcantur. Immo erunt alii, qui hunc laborem prorſus damnaturi ſunt, propterea quod demonſtrationibus addiſcendis tempus inutiliter teri arbitrentur. Enim vero hi erunt, qui per praecipitantiam ſtatuentes de iis, quae non intelligunt, negant quod ignorant. Syſtematis demonſtrativi notione deſtituti nullam eius utilitatem vident, ac inde nullam dari colligunt. Aliter vero de utilitate illius ſtatuunt, quot quot comprehendunt, quantum interſit, veritates demonſtrativa ratione proponi. Noſtrum adeo eſt utilitatem iuris in ſyſtema demonſtrativum redacti breviter quidem, attamen perſpicue delineare. Si ius fuerit in formam demonſtrativam redactum, liberabimur ab omnibus interpretationibus dubiis. Etenim ſi qua lex occurrit, cuius dubia eſt interpretatio, interpretibus in diverſas euntibus ſententias, certo decidere licebit, quinam verus eſſe debeat ſenſus. Quoniam enim imperator voluit, ut omnes in iure evitentur antinomiae, ſitque una concordia, una conſequentia (§. 4), is verus erit legis ſenſus, in quo ea ex legibus aliis evidentibus, de

(a) §. 551. & ſeqq. *Log.*

de quarum ſenſu nulla eſt dubitatio, demonſtrari poteſt. Hoc ſane in ſenſu concordat cum ceteris legibus, & legitima conſequentia ex iis deducitur; alius vero ſenſus quicumque illis repugnat, nec ex iis inferri poteſt. Deinde certi erimus de aequitate legum, & iudex iuſtus convictus erit, ſe in iure dicendo a iuſtitiae tramite numquam diſceſſiſſe. Ubi ſingulorum negotiorum, de quibus in foro litigatur, definitiones accuratae proſtabunt, quales in ſyſtemate demonſtrativo unice locum obtinent; non modo intelligetur, quaenam praeciſe ad probandum, quale ſit negotium, quod liti originem dedit, requirantur; verum etiam omnes de hac quaeſtione diſceptationes e foro exſulabunt, quales nunc per bina luſtra continuatas fuiſſe novimus. Ubi leges ſingulae ad propoſitiones determinatas fuerint revocatae, quales ſunt, quae demonſtrari poſſunt, ex hypotheſi eiuſdem, ſeu determinata notione ſubiecti, conſtabit, quaenam de facto probanda ſint, ut lex ad eam applicari poſſit. Atque ita ceſſabunt diverſae de eodem facto ſententiae; quae nunc ſaepius tot deprehenduntur, quot ſunt capita. Si qui caſus occurrunt, qui in ſyſtemate nondum deciſi ſunt, de iisdem per demonſtrationes eruetur ex ceteris, quid ſtatuendum ſit, ut deciſio non tollat cum legibus expreſſis concordiam. Applicatio legum & certa, & facilis evadet. Praeterea demonſtrationibus adſuetus ſingulare ſibi comparabit artificium de factis ex pluribus legibus iuſta conſequentia inter ſe concatenatis ſtatuendi, de quibus ſi ex una ſententiam dicere velis, in difficultates inextricabiles incidis, neque profers quae ad rhombum faciunt.

DISSERTATIO II.

SPECIMINA DEFINITIONUM IN IURE EMENDATARUM.

1. *Definitio Obligationis emendata*

Inſtitutum §. 1. *auctoris.* QUUM in Diſſertatione ſuperiori doceremus, quomodo iuriſprudentia civilis in formam demonſtrativam ſit redigenda, promiſimus (*a*), nos daturos eſſe exemplum definitionis in iure, quae emendatur, ubi determinationes ex legibus inde demonſtrandis eruendae adiiciuntur illis, quae in definitione iam continentur. Liberabimus itaque fidem noſtram plura daturi, quam promiſimus. Neque enim inconſultum videtur, ut plures definitiones exaſciemus, quo appareat, quid in ceteris emendandis obſervari debeat. Monuimus iam nuper (*b*), huc pertinere, quae de notione iuris naturae, gentium, & civilis, atque iuſti-

(a) *Diſſ.* 1. §. 5.
(b) *loc. cit.*

iuſtitiae ex mente iuriſconſultorum romanorum dicta ſunt. Quamobrem definitiones iſtas perpendere debet, qui ideam definitionum iuris exaſciandarum animo comprehendere voluerit. Iam primo loco addemus definitionem obligationis, propterea quod in hac definitione aliquid metaphorici occurrit ad proprietatem reducendum.

Obligationis definitio qualis Inſtitutionibus occurrat.

§. 2. Definitionem obligationis reperimus in Inſtitutionibus (*a*). Definitur nimirum *Obligatio* per iuris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicuius rei ſolvendae ſecundum noſtrae civitatis iura. Quoniam ſub finem additur, nòs ad ſolutionem rei alicuius adſtringi ſecundum noſtrae civitatis iura; ſtatim apparet, definitionem non reſpicere obligationem in genere, ſed civilem in ſpecie: agitur enim in eadem de illa obligatione, quae a lege civili vim atque robur ſuum habet. Diſtinguit autem ipſum ius romanum obligationem civilem a naturali, quemadmodum deinceps oſtendemus. Ut vero definitio haec intelligatur, tria potiſſimum explicanda ſunt: nimirum primo quid ſibi velit vinculum iuris; ſecundo quid ſit ſolutio, cuius hic mentio iniicitur; & tertio quomodo ad eam neceſſitate adſtringamur. Quod ſi loco iuris civilis in definitione ponatur ius in genere, definitio evadet generalis (*b*); quemadmodum in definitionem obligationis naturalis abit, ubi pro iure civili naturale ponis (*c*). Hoc ipſo autem apparet, obligationem eſſe aliquid, quod ex lege fluit, atque adeo illam neceſſitatem, qua

 quis

(a) *tit. de Oblig.*
(b) § 710. *Log.*
(c) §. 714. *Log.*

quis adſtringitur, ex lege oriri. Quoniam vero neceſſitate quadam adſtringi dicimur ad rem quamdam alteri ſolvendam; obligatio, de qua hic loquitur imperator, paſſiva eſt, non activa, adeoque non confundenda cum ea, quam in Philoſophia Practica (a) dedimus, ut ut illa cum hac conſentiat, quantum ſpecies una cum altera conſentire poteſt, hoc eſt, quatenus determinationes genericas communes habent. Obligatio activa ſpectatur in legislatore, paſſiva in ſubdito, qui actiones ſuas ad normam legis componere tenetur; habetque paſſiva vim ac robur ſuum ab activa, a qua per legem in iſtam vis ſeu neceſſitas adſtringendi derivatur. Quamobrem plurimum conducet ad definitionem imperatoris clariorem reddendam, ubi mentis aciem in rem ipſam, de qua loquitur, converterimus: etenim hac ratione apparebit, quaenam auctori definitionis obſervata fuerint, dum definitionem condidit. Antequam tamen id fiat, terminus ſolutionis explicandus venit; ut hac notione attentio dirigatur ad ea, ad quae auctor definitionis reſpexit. De ſolutionibus & liberationibus integer titulus occurrit in Pandectis. Etſi autem definitio ſolutionis ibidem non exſtet; ex iis tamen, quae de ſolutione praecipiuntur, quid ea ſibi velit, ſatis ſuperque intelligitur: *Marcianus* (b) ait, *ſolutam pecuniam intelligimus utique naturaliter; ſi numerata ſit creditori.* Pone igitur, te Titio debere 100. florenos, quos ab ipſo mutuo accepiſti Kalendis Maii hoc anno reſtituendos: quod ſi pecuniam iſtam eidem numeres tamquam

(a) §. 8. *Mor.*
(b) *l. 49. D. de Solut.*

quam creditori, adeoque eo animo, ut in aere ipſius eſſe deſinas, iuxta ſententiam *Marciani* pecunia erit ſoluta, & tu a debito liberatus. Numeratio pecuniae eſt actus debitoris, quo praeſtat creditori id, quod ex contractu mutui eidem debet. Quamobrem ſolutio aliter concipi nequit, quam quod ſit actus, quo id, quod alteri debetur, praeſtatur. Debetur autem alteri, quod iure a quodam exigere valet. Convenit ſolutionis notio, quam ex verbis *Marciani* elicuimus, cum definitione ſolutionis a *Struvio* (*a*) data, neque hic quidquam difficultatis occurrit. Solvere adeo idem eſt, ac praeſtare id, quod alter a nobis iure exigit. Nimirum ſi alteri ius eſt exigendi a nobis, ut quid ipſi demus; dandum id eſt: ſi habet ius exigendi, ut quid faciamus; faciendum id eſt. In utroque igitur caſu ſolvitur, quod debetur. Agedum itaque! intendamus iam ingenii noſtri aciem in rem ipſam; quae obligationis nomine venit; nullum enim dubium eſt fore, ut notio ſolutionis attentionem noſtram in ea dirigat, quae animo illius obſervata fuere, qui definitionem obligationis in Inſtitutionibus datam primus condidit. Ne autem abſtracta difficultatem praeter neceſſitatem creent, utamur exemplo aliquo ſpeciali; a quo generalia haud difficulter abſtrahere nobis dabitur.

§. 3. Retineamus caſum; quem a *Marciano* ſuppeditatum adhibuimus ad notionem ſolutionis eruendam. Ponamus itaque, Mevium Titio mutuo accepiſſe quadringentos florenos die *Modum eruendi notionem obligationis.*

20.

(a) *in Iuriſprud. Rom. Germ. lib.* 3, *tit.* 21. §. 3.

20. martii ſolvendos: dicimus Mevium obligari Titio ex contractu mutui ad ſolvendos quadringentos florenos termino ſtatuto. Inquiramus ergo, in quonam conſiſtat obligatio Mevii, ſeu quidnam illud ſit, quod obligationis nomine hic venit. Mevius ſolvere debet Titio quadringentos florenos ſtatuto tempore; ratio haec eſt, quod eos a Titio hac conditione acceperit, ut eoſdem illi reſtituat ſtatuto tempore, ſeque id facturum promiſerit. Si actionem Mevii, qua Titio ſolvit 100. florenos, phyſice conſideres; aeque poſſibile eſt, ut is centum florenos ſolvat, quam ut eoſdem non ſolvat, hoc eſt, generaliter loquendo, ut actionem committat, quam omittat. Enim vero ſi rem moraliter conſideres, adeſt ratio ſufficiens, cur 100. florenos potius ſolvat, quam non ſolvat, hoc eſt, ut actionem potius committat, quam non committat. Titius eidem conceſſit uſum pecuniae ſuae ad certum tempus, ſed ea conditione, ut eamdem elapſo tempore hoc reſtituat. Moraliter igitur, hoc eſt, ſalva lege naturali de rerum dominio, fieri nequit, ut pecunia alterius ultra iſtud tempus utatur, neque eamdem ipſi reſtituat. Ecce tibi neceſſitatem moralem agendi hoc potius, quam alterum oppoſitorum, quae oritur ex ratione, cur unum oppoſitorum potius fieri debeat, quam alterum. Atque in hac neceſſitate morali agendi conſiſtit obligatio naturalis. Oritur autem ex ratione ſufficiente, cur unum potius oppoſitorum fieri debeat, quam alterum; conſequenter quatenus ratio actioni intrinſeca praebet motivum determinandi appetitus, qui in se ad utrumque oppoſitorum indifferens eſt.

Obli-

Obligatio igitur *paſſiva naturalis* eſt neceſſitas moralis agendi hoc potius, quam alterum oppoſitorum, ob rationem actioni intrinſecam, aut, ſi mavis, vi motivi cum actione neceſſario connexi. Unde ſimul patet, connexionem motivi neceſſariam cum actione eſſe *obligationem naturalem activam*, quemadmodum in Moralibus (a) dudum docuimus. Enim vero rationes extrinſecae pro diverſitate ſubiectorum, & circumſtantiarum plurimum variantes praevalere poſſunt adverſus rationem intrinſecam, ſi vel maxime perſpecta fuerit, ut appetitus determinetur in alteram partem, v. gr. ut in dato exemplo centum floreni non ſolvantur; atque adeo obligatio naturalis inefficax eſt. Neceſſitas enim moralis non tollit liberam agendi facultatem, nec in mente se exſerit, niſi quatenus per motiva appetitum impellit. Quamobrem iuxta principia in Politicis ſtabilita (b) obligationem naturalem fortiorem reddi convenit per ſubſidia civilia. Conſtituuntur itaque magiſtratus; datur per legem civilem ei, cui alter naturaliter obligatus eſt, actio in foro adverſus eum, qui obligationem naturalem nihil facit; magiſtratus habet poteſtatem condemnandi reum, ut det vel faciat, quod debet, & potentiam vi compellendi condemnatum ad ſolvendum, quod debet, ubi refractarium se praebuerit. Accedunt igitur plures rationes in rep., cur unum potius agamus, quam alterum, v. gr. cur in dato exemplo Titio potius 100. florenos ſolvat Mevius, quam non ſolvat; ne ſcilicet adverſus eum actio inſtituatur in foro, & a

(a) §. 8. *Mor.*
(b) §. 341., *&* *alibi.*

& a iudice ad ſolutionem condemnetur; immo iudex ipſo invito praeſtet victori, quod ipſe praeſtare recuſat. Ecce tibi neceſſitatem moralem agendi hoc potius, quam alterum oppoſitorum, quae oritur ex lege civili vi rationum arbitrariarum cum actione connexarum, & coactionis externae, cui quis se opponere virium defectu nequit. Atque in hac neceſſitate morali agendi conſiſtit obligatio civilis, quae adeo oritur ex ratione ſufficiente politica ſeu civili, cur unum potius oppoſitorum fieri debeat, quam alterum; conſequenter quatenus ratio arbitrio ſuperioris actioni ſuperaddita praebet motivum determinandi appetitus, qui per rationem actioni intrinſecam determinari nequit. *Obligatio* igitur *paſſiva civilis* eſt neceſſitas moralis agendi hoc potius, quam alterum oppoſitorum ob rationem lege a ſuperiore lata ſuperadditam, aut, ſi mavis, vi motivi cum actione per legem civilem connexi. Unde ſimul liquet, connexionem motivi arbitrariam cum actione factam a ſuperiore, eſſe *obligationem civilem activam*; quemadmodum dudum quum in Moralibus (*a*), tum in Politicis (*b*) docuimus. Haec obligationis civilis notio beneficio noſtrorum principiorum philoſophicorum noſtra methodo (*c*) deducitur ex ſuppoſito exemplo. Idem confirmari poteſt analyſi in aliis exemplis repetita. Non moramur hic illorum ſcrupulum, qui, quum methodum univerſalia a ſingularibus abſtrahendi ignorent, defectu acuminis ſibi perſuadent a ſingulari vel particulari ad univerſa-le

(a) §. 17. *Mor.*
(b) §. 341. *Polit.*
(c) §. 678. *Log.*

Digitized by Google

le fieri argumentationem. Videamus itaque, utrum definitio communis cum his conſpiret, nec ne, & quomodo exaſciari debeat, ut accurata evadat.

Emendatio definitionis communis.

§. 4. In definitione communi, quam ſupra (§. 2.) in medium attulimus, duo in primis ſunt, quae obſcuritate laborant, nec ſatis intelliguntur, niſi quatenus exempla confuſas notiones terminis iungendas animo ingenerantia lucem quamdam offundunt. Nimirum quaeritur, quidnam ſit iuris vinculum, & quomodo idem neceſſitate agendi nos adſtringat. Vinculum vocabulum metaphoricum eſt, atque adeo hic loci attendi nequit, niſi ſignificatus generalis, qui conſtituitur per id, quod rei propriae, cui ſignificandae deſtinatur, & rei impropriae, ad quam denotandam per ſimilitudinem transfertur, commune eſt. Quod ſi vinculum, & obligationem paſſivam inter ſe confers, id ipſis commune deprehendes, quod libertatem agendi tollat, quam ante habebamus, vel liberam agendi facultatem ad certas actiones reſtringat. Ita homo in vincula coniectus manere cogitur aliquo in loco pro arbitrio alterius, quum antea ſeſe in eum locum conferre poſſet, qui ipſi commodus videbatur. Obligatus vero alteri civiliter ad ſolvendum 100. florenos, eos ſtatuto tempore ſolvere cogitur, ſive velit, ſive minus. Vinculum igitur in genere denotare nequit, niſi id, quod quidpiam agendi vel patiendi neceſſitatem imponit. In dato adeo caſu vinculum denotat id, quod neceſſitatem imponit ſolvendi centum florenos tempore ſtatuto, vel patiendi, ut iudex rem noſtram vendat, & nobis vel maxime invitis ex pretio illos

illos ſolvat debitori. Iam vero id, quod neceſſitatem iſtam nobis imponit, lex civilis eſt: unde patet perperam obligationem, quae ex lege manat, vinculum iuris appellari. Vinculum adeo iuris nihil ſignificat, adeoque terminus inanis eſt, quando ad obligationem tranſfertur. Quamobrem qui definitionem communem obligationis civilis condidit, id equidem animadvertit, adeſſe quamdam agendi neceſſitatem; ſed notionibus confuſis intentus ex obligatione eam fluere exiſtimavit, quum tamen in ipſa conſiſtat obligatio. Hinc conſequitur ex definitione obligationis communi eliminandum eſſe terminum *vinculum iuris*, & eius loco ponendam eſſe neceſſitatem moralem agendi. Quod ſi quibuſdam terminus hic non clarior videtur vinculo iuris; illi agnoſcant velim, notionibus philoſophicis deſtitutum in ipſa luce meridiana ſaepiſſime caligare. Quoniam vinculum iuris ſumtum de obligatione, terminus inanis eſt, nullum quoque ipſi huius reſpectu praedicatum convenit. Fruſtra igitur quaeritur, quomodo vinculum nos adſtringat neceſſitate agendi, quum ipſa agendi neceſſitas ſit obligatio, quae definiri debet. Enimvero quum obligatio civilis, de qua hic agitur, tantummodo verſetur circa id, quod ex contractu debetur; praeſtatio vero eius, quod ex contractu debetur, ſolutionis nomine venit (§. 2.); definitio communis obligationis, ſcilicet paſſivae civilis, in notionem foecundam abit, ſi dixeris eſſe neceſſitatem moralem quid ſolvendi lege civili impoſitam. Quomodo vero lege civili imponatur neceſſitas, ex anterioribus abunde patet. Quidquid de obligatione civili praedicari poteſt, ex definitione

iſta

iſta demonſtrari poteſt. Qui methodo pollent, foecunditatem eius ſatis ſuperque ipſo opere experientur. Ceterum obligationis definitio iuſtinianea emendata ab ea, quam paullo ante (§. 2.) eruimus, non niſi in eo differt, quod ſit paullo reſtrictior, quum illa latius pateat. Sufficit autem ad demonſtrandum ius romanum iuſtinianea emendata, ut non opus ſit eam fieri latiorem. Ex ſententia *Iuſtiniani* itaque *obligatio* (nempe *paſſiva civilis*) eſt neceſſitas moralis alicuius rei ſolvendae a lege civitatis propria impoſita. Quemadmodum enim in ſe neceſſarium eſt, cuius oppoſitum contradictionem involvit; ita hic moraliter neceſſarium eſt, cuius oppoſitum ſalva lege fieri nequit. Et ſicuti obligatio naturalis a lege naturali; ita civilis a civili venit, quemadmodum paullo ante explicavimus. Et hinc intelligitur, quomodo ex *Paulli* (a) ſententia *obligationum ſubſtantia in eo conſiſtat, ut alium nobis obſtringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel praeſtandum.* Nimirum in dando, faciendo, & praeſtando ſolutio conſiſtit. Dare nimirum idem eſt, ac transferre rei dominium; facere ſignificat actum omnem a datione diverſum, quem alterius gratia edere tenemur, veluti pignus nobis datum, vel rem depoſitam, aut commodatam reſtituere, negotium alterius gerere; praeſtare autem dicitur, qui dat vel facit, ad quod ex contractu tenetur, etſi de eo ſpecialiter non ſit conventum, veluti quum damnum creditori datum reſarcit debitor. Negat vero *Paullus*, ſubſtantiam obligationis conſiſtere in eo, *ut aliquod corpus noſtrum, aut ſervitutem noſtram faciamus.* Obligatio igitur eſt aliquid, quod

(a) *l.* 3. *D. de Oblig.*, & *Act.*

quod ad debitorem ſpectat, non ad creditorem, neque ad utrumque ſimul, niſi quatenus mutua quaedam obligatio eſt, ubi quis diverſo reſpectu, & debitoris, & creditoris perſonam ſuſtinet. Hinc debitor obligatur creditori ad aliquid eidem ſolvendum, ſeu dandum, faciendum, vel praeſtandum; non vero ex eo etiam ad aliquid tenetur creditor, niſi peculiaris quaedam ipſius ſit obligatio. Quamobrem nobis non probatur eorum ſententia, qui vinculum iuris ita interpretantur, ut ſit aliquid, quo debitor & creditor inter ſe coniunguntur, etſi, quid iſtud ſit, explicari non poſſit.

Species obligationis §. 5. Qui novit methodum ex data ſpecie una determinandi ſpecies alias alibi (*a*) a nobis expoſitam; is ſpecies obligationis ex notione data facile eruit. Subſtantia, ut loquitur *Paullus*, ſeu determinationes genericae, quae omnem obligationem ingrediuntur, conſiſtunt in neceſſitate aliquid dandi, vel faciendi, vel praeſtandi, vel in genere aliquid agendi. Una igitur obligatio ab altera differre nequit, niſi eo, unde fluit iſta neceſſitas. Quare quum a lege oriatur, legum diverſitas diverſas parit obligationum ſpecies. Quamobrem ſi neceſſitas iſta manat a ſola lege naturali, *obligatio* eſt mere *naturalis*; ſi a ſola lege civili proficiſcitur, *obligatio* tantum *civilis* eſt; ſi ab utraque ſimul ortum trahit, *mixta* eſt *obligatio*, ex naturali ſcilicet atque civili ſimul. Obligatio naturalis duplici modo ex lege naturali manat, vel ex ea ſola, nullo intercedente facto noſtro; vel aliquo intercedente facto noſtro, veluti dum alteri nos quid daturos, vel facturos promittimus,

(a) §. 714. *Log*.

timus, vel expreſse, vel tacite, quod poſterius in praeſtatione in primis obtinet. Atque hinc obligatio naturalis in duas abit ſpecies, quarum priorem *obligationem naturalem plenam*, poſteriorem vero *minus plenam* appellare ſolent. In iure civili non niſi obligationis plenae habetur ratio, quae ob duplicem rationem fortius ſtringit, & cui ut ſatisfiat intereſt reipublicae, quemadmodum in Politica docemus. Quoniam in iure romano ius civile ſtricte ſic dictum differt a iure praetorio ſive honorario; vi anteriorum in eodem obligatio civilis abit in duas ſpecies, quarum altera a iure civili ſtricte ſic dicto, altera vero a iure honorario proficiſcitur. Illa *obligatio civilis* ſtricte ſic dicitur, adeoque nomen ſibi competens retinet; haec autem *obligatio praetoria* appellari ſolet. Quoniam obligationes civiles in univerſum omnes, quocumque tandem nomine eas appellare ſueverimus, ſunt plenae, atque adeo interveniente facto aliquo noſtro demum contrahuntur, diverſi modi obligandi civiles per diverſitatem iſtius facti determinantur. Sed modos iſtos obligandi ad ſuas ſpecies revocare noſtri iam non eſt inſtituti.

II. *Definitio Tutelae emendata*.

§. 8. Tutela, definiente *Servio*, eſt vis ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter aetatem ſe defendere nequit, iure civili data, ac permiſſa. Definitionem hanc nemo non obſcuritatis accuſat. Etenim *Tutelae definitio communis.*

Q quae-

quaenam eſt illa vis ac poteſtas, quae hic generis loco ponitur? Quinam intelligitur per caput liberum? Quid ſibi vult *Servius*, quod dicat, tutelam iure civili dari ac permitti? Quaenam enim eſt ratio, cur duo haec verba coniunguntur? Non hic ſufficit, ut, quemadmodum in caſu praecedente, in rem ipſam ingenii aciem intendas viſurus, quid ſibi velit *Servius*, & quaenam ſint ea, quae verbis eius reſpondent. Alia igitur via incedendum. Quae de tutelis tam in genere, quam in ſpecie traduntur in iure romano, reſolvenda ſunt in propoſitiones, & cum his conferenda ſunt verba *Servii*, ut appareat, quaenam verbis ſingulis indigitare voluerit. Etenim *Servius* ad leges utique romanas reſpexit, dum definitionem ſuam condidit; conſequenter dubium nullum ſupereſſe poteſt, quin in iis ſingulae determinationes contineantur, quae definitionem ſervianam ingrediuntur. Atque haec in primis ratio eſt, cur hanc definitionem emendare nobis propoſuerimus, ut appareat, quomodo in talibus ſit procedendum.

Quomodo definitio iſta ab obſcuritate liberetur.

§. 7. Prolixum nimis foret ac inutile omnes propoſitiones hic cumulari, quae prodeunt, ubi titulos ſingulos de tutelis reſolvis, ut eas ſeligas, quae praeſenti inſtituto inſerviunt. Suffecerit nobis ſuo loco notaſſe eas, quae ſeligendae ſunt. Primum itaque notandum eſt, tutores apud romanos dari non potuiſſe, niſi perſonas liberas: erant enim apud eos homines vel liberi, vel ſervi. Quod ſi ſervus in teſtamento dabatur tutor, eo ipſo liber-

(a) *l. 1. D. de Tut.*

libertatem accepiſſe cenſebatur (*a*): ſervus autem alienus pure inutiliter teſtamento dabatur tutor, quia ex eo non poterat accipere libertatem (*b*). Romano igitur iure prorſus neceſſarium eſt, hanc determinationem ingredi definitionem, quum abſque ea quis tutor concipi nequeat; repugnat enim eſſe tutorem, & non eſſe liberum, ſed ſervum. Quemadmodum itaque ex definitione quadrati omitti nequit iſta determinatio, quod ſit figura rectangula, quum abſque angulis rectis concipi nequeat quadratum; ita etiam ex definitione tutelae omitti nequit, quod tutor eſſe debeat perſona libera, quia tutela ſine libertate tutoris concipi nequit iure romano. Praeterea non ex aliis, quae ad tutelam requiruntur, demonſtrari poteſt, quod tutor eſſe debeat perſona libera, perinde ac ex ceteris determinationibus quadrati, quae eius definitionem ingrediuntur, demonſtrari nequit, quod omnes anguli recti eſſe debeant. Illae autem determinationes, ſine quibus res concipi nequit, quorum tamen una ab altera non pendet, definitionem ingredi utique debent. Iam in definitione ſerviana occurrunt verba, quae commode huc trahi poſſunt. Etenim tutelam dicit vim ac poteſtatem in capite libero, quod idem ſonat, ac in perſona libera, & tutores ſunt, qui eam vim ac poteſtatem habent (*c*). Aut igitur dicendum eſt, *Servium* verbis iſtis indigitare voluiſſe, tutorem eſſe debere perſonam liberam; aut ex definitione quid omiſiſſe, quod ex eadem omitti non poterat.

O 2 Quo-

(a) §. 2. *Inſtit. Qui Teſt. &c.*
(b) *ibid.*
(c) §. 2. *l. c.*

Quoniam itaque nulla neceſſitas nos cogit, ut poſterius dicamus, quum non invitis verbis ceteris de tutore accipi poſſit, quod eſſe debeat caput liberum, ſeu perſona libera; *Servium* verbis iſtis hoc indigitare voluiſſe concludendum. Neque vero opus eſt, ut de mente *Servii* multum diſputemus; ſufficit enim verba eius ita accipienda eſſe, ubi definitionem emendare voluerimus. Iure romano tutor dari non poterat, niſi perſonis liberis ac ſui iuris (*a*), qui ſcilicet mortuo patre vel avo in nullius amplius erant poteſtate. Nemo non fatetur, demonſtrari poſſe, quod ſervo, vel homini libero, qui eſt in poteſtate patris ſui tutor dari nequeat, quum ex legibus dent rationem, cur id fieri non poſſit (*b*): iuxta regulas logicas ergo ex definitione exſulare debet iſta determinatio. Etenim inter propoſitiones demonſtrativas referri debet, tum quod tutor dari nequeat homini libero, qui non eſt ſui iuris, tum quod dari nequeat ſervo. Atque hinc ulterius elucet neceſſitas, cur verba *Servii* de tutore, non de pupillo, accipienda ſint, ubi definitionem condere volueris, quae iuri romano demonſtrando inſervit. Nobis vero iam conſtitutum eſt exemplis docere, quomodo definitiones in iure ſint emendandae, ut eidem demonſtrando inſerviant. Non igitur nobis perinde, utrum de pupillo, quemadmodum vulgo a pleriſque fieri ſolet, an de tutore accipiantur verba *Servii*, quemadmodum *Hubero* viſum eſt (*c*). Neque enim ſufficit

(a) *§. 3. l. c.*

(b) *vid. Hoppius in Comment: ad Inſt. lib. 1. §. 3. de Tutel. p.* 135.

(c) *in Tractat. ad Inſt. lib. 1. de Tut. §. 2. p. m.* 38.

tit utrumque eſſe verum, quoniam ideo aliquid in definitione locum nondum habet, quod de re praedicari poſſit, quum alias omnia rei praedicata in definitione cumulari deberent: quod quam maxime abſonum eſt, & legibus demonſtrativae methodi adverſum. Antequam intelligi poſſit, quid ſibi velit vis ac poteſtas, quae tutori data ac permiſſa dicitur; utique inquirendum erit, quid pupillum tueri ſignificet, & qualis hic defenſio intelligatur. Hic igitur denuo recurrendum ad leges, ut conſtet, ad quid pupillo detur tutor, & quodnam eius ſit officium: *Placuit*, inquit Iuſtinianus (*a*), *meliorem quidem conditionem licere ei facere etiam ſine tutoris auctoritate; deteriorem vero non aliter, quam tutoris auctoritate.* Tutoris igitur eſt damna avertere, quando alteri obligari debet. Pupillum tueri debet adverſus eos, qui ipſi damnum inferre poterant, dum iis ſeſe obligare debebat. Apparet denuo, id in definitione tutelae exprimi debere, quod tutor auctoritatem ſuam interponere teneatur, quoties pupillus alteri obligari debet, ne laedatur ab aliis quum ipſemet ſibi nondum proſpicere poſſit; ne damnum incurrat, quoties ipſi negotium eſt cum aliis. Nullum adeo dubium eſt, quin huc reſpexerit *Servius*, dum affirmat tutorem pupillum tueri debere, qui per aetatem ſe defendere nequit. Enim vero diſpiciendum porro venit, quanam in re praeterea opus habeat pupillus, ut eum tueatur tutor. Quoniam itaque *tutor moribus pupilli, non rebus dumtaxat praeponi* dicitur (*b*), educationi quoque attendere de-

(a) *pr. I. de Auct. Tut.*
(b) *l. 12. §. 3. D. de Adminiſtr. & Peric. Tut.*

debet: qua in re eum defendit adverſus eos, qui damna dant pupillo, quatenus moribus ipſius inſidiantur. Et ſane in educatione maiora damna magiſque nocua pupillo dari poſſunt, quam in adminiſtratione bonorum. Quamobrem tutori incumbit quum bonorum adminiſtratio, tum etiam educationis cura, ut ut hanc aliis committere poſſit, immo per leges, quod notiſſimum eſt, committere teneatur, veluti matri, cognatis, aliiſque perſonis, in quas nulla ſuſpicio cadit. Quae vero porro leges praeſcribunt de agentibus vel conveniendis tutoribus in cauſſis pupillorum, ea ex cura tuendi pupillum in adminiſtratione bonorum fluunt, ac inde demonſtrari poſſunt. Ea igitur ex definitione exſulare debent (*a*). Quomodo vis ac poteſtas differat, ex ipſa re potius, quam legibus diſcernendum. Nimirum poteſtatem habet, qui iure quid facit; vim autem, qui habet facultatem id exſequendi, quod iure facere poteſt, ita ut nemini competat ius contradicendi, vel idem impediendi. Quoniam vero vis ex poteſtate fluit, non opus eſt, ut eius in definitione mentio iniiciatur. Tutor impuberibus datur, hoc eſt, maſculis qui nondum annos quatuordecim nati ſunt, & femellis quae nondum duodecim natae: liberantur enim a tutela, quum puberes eſſe coeperint (*b*). Apparet adeo, teneram pupillorum aetatem obſtare, quo minus ſibi a damnis caveant, quae tum in adminiſtratione, tum in educatione dari poſſunt. Atque hinc intelligitur, quid ſibi velit *Servius*, dum tutorem dari ei pronunciat, qui per aetatem ſe ipſum defendere nequit. Determinatio haec quum non ex ceteris ſequatur, quae

(a) *§. 950. Log.*

(b) *I. pr. Quib. Mod. Tut. Fin.*

quae definitioni inſunt, eidem utique inferenda. Suadet autem claritas in definitione conſervanda, ut tutorem dari dicamus impuberibus. Etenim ex impuberum notione ſequitur, quod pupillus ea ſit aetate, qua ſe ipſum defendere nequit adverſus damna, quae in adminiſtratione bonorum, & educatione incurrere poteſt; immo quod bona ſua ipſemet adminiſtrare nequeat, nec educationi ſuae praeeſſe poſſit. Ex hactenus dictis apparet, multas determinationes civiles notionem tutelae ingredi, qualem definit *Servius* iure romano convenienter. Quamobrem non ſuperfluum cenſeri debet, quod addatur iure civili deferri tutelam: quo etiam referri poterat, quod munus neceſſarium erat, ita ut idem ſuſcipere teneretur tutor, niſi iuſtas excuſandi cauſſas haberet ipſa lege definitas. Conſtat denique, tutelam romanis fuiſſe triplicem, teſtamentariam, legitimam, & dativam: hoc eſt, lege quidam conſtituebantur tutores; permiſſum vero erat, & patri in teſtamento dare liberis impuberibus tutores, & magiſtratui idem permiſſum erat, deficientibus legitimis & teſtamentariis. Tutores adeo legitimi dabantur ipſa lege; ut vero etiam pater in teſtamento, & magiſtratus dare poſſet tutores, lege permittebatur. Atque adeo tutela vel lege dabatur, vel ut daretur lege permittebatur: quod diſcrimen in definitione exprimendum erat, ut ſpecies tutelae inde deduci poſſent. Ipſae igitur leges in praeſenti caſu, & lucem affundunt definitioni ſervianae, & determinationes manifeſtant, ex quibus clara atque diſtincta notio evadit, ut nihil obſcuritatis ſuperſit, nec in foecunditate eius quidquam deſiderari poſſit.

§. 8.

Definitio tutelae iuxta ius romanum.

§. 8. Ex his intelligitur, quomodo diſtinctio ſerviana reddi poſſit foecunda. Etenim aut terminorum, qui quid obſcuritatis alere videntur, praemittendae ſunt definitiones; aut iis ſubſtituendi ſunt clariores. Termini ante definiendi, quam definitionem ſervianam prorſus immutatam ſyſte[illegible] inferre poſſis, ſunt vis, poteſtas, caput liberum, tuitio, defenſio, datio, & permiſſio iure civili facta. Per *vim* itaque intelligitur facultas exſequendi illud, quod quis iure facere poteſt. *Poteſtas* denotat facultatem iure aliquid faciendi, ſeu ius aliquid faciendi. *Caput liberum* eſt perſona, quae ſervituti non eſt obnoxia; ſupponimus enim ſervitutem in ſyſtemate iam ante fuiſſe definitam. *Tueri* idem eſt ac cavere, ne cui ab altero damnum inferatur. *Iure civili dari* dicitur, quod per legem civilem alicui defertur. *Iure civili permitti* dicitur, quod fieri poſſe lex civilis pronunciat. Sane ſi has terminorum explicationes praemittis, earum ope definitio ſerviana foecunda evadit, ut ex ea cetera deduci poſſint, quae de tutela ex definitione eiuſdem demonſtranda veniunt. Quod ſi autem non tenax fueris verborum *Servii*, ipſas terminorum explicationes in definitione ſubſtituere licet, ut fecunditatem in ſe habeat, nec eam demum aliunde derivari opus ſit. Prodibit adeo ſequens tutelae definitio ſervianae aequipollens, quod ea ſit poteſtas a perſona aliqua eiuſve bonis avertendi damna, quae propter teneram aetatem ipſamet id facere nequit, iure civili perſonae liberae delata. Quod ſi vero, definitione ſerviana prorſus neglecta, definitionem condere volueris, qualis ad leges romanas de tutela demonſtrandas requiritur; ex

iis

Digitized by Google

iis eamdem exſtrues, quae paullo ante in medium adducta ſunt, ſi eas determinationes eamdem ingredi facias, quas eam ingredi debere oſtendimus. Ita autem prodibit ſequens tutelae definitio; quod ſit poteſtas iure civili delata perſonae liberae, dirigendi educationem impuberis, & eius bona adminiſtrandi iuraque conſervandi. Quod haec definitio clara ſit, per ſe patet: neque enim ullus occurrit terminus, qui non vel ex communi ſermone, vel ex definitionibus philoſophicis, vel ex definitionibus in ſyſtemate iuris praemittendis intelligatur. Quod ea, quae in definitionibus continentur, per ſe invicem non determinentur, per ſe itidem patet: neque enim ulla neceſſitas urget, ut ea in una eademque perſona coniungantur, quum tria diverſa conſtitui poſſent iura, ſingula ſingulis perſonis concedenda, atque pro diverſitate horum iurium diverſis quoque nominibus inſigniri daretur ſingulas. Quod denique legibus romanis demonſtrandis ſufficiat, aliter doceri nequit, quam ubi ipſo opere demonſtrationes exhibentur: id quod hic loci nimis prolixum accideret. Obiter monemus, definitiones in iure romano non eſſe adeo abſurdas, quemadmodum vulgo videtur, modo ſatis intelligantur.

III. *Definitio Libertatis.*

§. 9. Quoniam in definitione tutelae ſupponitur definitio libertatis; de ea hic differere lubet, etſi parum aut nihil difficultatis habeat. Dedit eam *Florentinus* (a): ita ve- *Definitio libertatis in iure romano qualis ſit.*

(a) *l.* 4. *D. de Statu Homin.*

ro ſeſe habet: Libertas eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi quid vi, aut iure prohibetur. Facultas ſignificat in homine poſſibilitatem agendi, diciturque naturalis, ſi eam homo habeat a natura. Huc reſpicere *Florentinum* ex eo patet, quod iuriſconſulti romani ſervitutem negaverint eſſe iuris naturalis, eamque ex iure gentium deduxerunt (*a*), quum natura omnes liberos naſci exiſtimaverint. Removentur autem obiectiones, quae moveri poterant, dum additur, libertati non obſtare vim, nec ius prohibitivum. Vis enim exercitium facultatis phyſicae tantummodo impedit, ipſam autem facultatem intemeratam relinquit. Pone nimirum te vinciri a latrone vel praedone, ut te defendere nequeas: non ideo impoſſibiles abſolute ſeu in ſe ſpectati fiunt motus, qui ad defenſionem requiruntur; ſed impeditur ſaltem vinctus, ut ad actum deducat, quod in ſe poſſibile eſt. Similiter ius non tollit facultatem agendi phyſicam, ſed ſaltem moralem. Stante lege, facere adhuc poteſt eidem ſubiectus, quod ante legem facere poteſt; ſed non amplius iure facit, quia lex facultatem phyſicam ad alterutrum oppoſitorum reſtringit, & actioni impoſſibilitatem moralem ſuperaddit, ut non amplius fieri poſſit, quod antea fiebat, quamdiu nihil fieri debet, quod iure fieri nequit. Etſi autem haec vera omnino ſint, definitionem tamen minime ingredi debent. Quoniam enim ſervitus vi externae reſpondet in nonnullis, in aliis iuri, quo facultas phyſica reſtringitur, de ſervo etiam vera ſunt, quae hic dicuntur intuitu libertatis; ſcilicet

(a) *l. c.*

licet quod facultas phyſica non tollatur, ſed tantummodo eius exercitium impediatur, & impoſſibilitas quaedam moralis actionibus ſuperadd̄atur. Quae igitur eodem modo ſeſe habent in homine libero atque ſervo, ea differentiam ſpecificam libertatis a ſervitute conſtituere nequeunt. Videtur adeo *Florentinus* libertatem agendi, quae homini competit, & in moralibus attenditur, confudiſſe cum libertate perſonarum, quae ſervituti in ſenſu civili opponitur: id quod exinde colligo, quod libertas definiatur per facultatem naturalem, quum tamen ex ipſo titulo, qui de ſtatu hominum in Pandectis inſcribitur, appareat, libertatem hic in ſenſu civili accipi debere perinde, ac ſervitutem de ſtatu hominum civili. Immo libertas, & ſervitus diſertis verbis ad ſtatum hominum civilem referuntur (*a*). Quamobrem in definitione libertatis, de qua hic ſermo eſt, loco generis poni debet ſtatus, quod cum ſervitute commune habet; differentia vero ſpecifica in eo conſtituenda, quo ſtatus libertatis a ſtatu ſervitutis differt.

§. 10. Agedum itaque, videamus, quomodo definitionem condamus clariorem, cuius cum principiis iuris romani manifeſtus ſit conſenſus, & unde alia de hominibus liberis, & ſervis deduci poſſint. Generis loco poni debere ſtatum hominis, ex antecedentibus patet. Intelligendum autem eſſe ſtatum civilem, quo libera noſtra agendi facultas lege civili reſtringitur, non minus liquet. Neceſſarium vero eſſe, ut conſideremus, ſtatum hic intelligi civilem, ex eo colligitur, quod ſtatus libertatis civilis opponatur ſtatui naturali, ubi ſola ex natura limitat facultatem agendi phyſicam. Quamob- *Definitio libertatis emendata.*

(a) *l.* 2. *D. de Statu Hominum.*

rem

rem ſi vel in ſyſtemate iuris civilis ſtatus naturalis, & civilis differentia diſtincta terminorum explicatione ante expenditur, quam ſtatus civilis differentiam ſecundum ius romanum explices; vel differentia iſta ex philoſophia cognita praeſupponitur (nos enim eam ibidem explicamus); multo luculentius apparet, ſuperflua eſſe ultima in definitione *Florentini* verba, quod libertati civili non obſtet vis, nec obſtet ius, & utrumque, quod hic negatur, inter propoſitiones demonſtrativas referri debere. Potiſſima igitur cura de differentia ſpecifica eſt, quam rectius adſequemur, ſi ad rem ipſam attenti libertatem civilem cum ſervitute conferamus. Vidimus in ſtatu civili libertatem hominis naturalem lege civili limitari, quae nullam in ſtatu naturali admittit, niſi quae a iure naturali venit. In ſervitute igitur ulterior quaedam accedere debet limitatio, ob quam aliquis dicitur ſervus, & ob cuius abſentiam alius liber appellatur. Unde colligitur, in ſtatu civili liberum cenſeri, in quo libertas voluntatis, ſeu facultas agendi phyſica libera ſolo iure civili limitatur, non vero arbitrio hominis cuiuſdam privati. Quamobrem *libertas* (*civilis* nempe) eſt ſtatus civilis hominis, quo ipſi permiſſum eſt actiones ſuas ſuo arbitratu determinare, quatenus lege civili non impeditur, aut, ſi mavis, quo libertas voluntatis non limitatur niſi lege civili. Differt autem libertas civilis a libertate naturali ſumta pro ſtatu. *Libertas* nimirum *naturalis*, qui & *ſtatus naturalis* dici ſolet, eſt ſtatus hominis, quo libertas voluntatis non limitatur niſi lege naturali, ſeu quo homo actiones ſuas pro arbitrio ſuo determina-

minare valet, niſi quatenus lege naturali impeditur. Patet adeo, quod libertas naturalis maior ſit libertate civili. Etenim per ſtatum civilem ſtatus naturalis non tollitur perinde, ac per leges civiles lex naturae non tollitur: ſed quemadmodum ex lege naturae efficitur civilis, dum aliquid additur; ita etiam libertas naturalis abit in civilem, dum limitationes quaedam libertati voluntatis adiiciuntur, quae in civili non obtinent. Poteſt etiam definiri *libertas* per ſtatum hominis, quo actiones liberas iure civili non determinatas pro arbitratu ſuo determinare valet; ſeu ſuum in iis determinandis iudicium ſequi poteſt, non alienum ſequi cogitur. Nemo miretur, nos unam eamdemque rem diverſis verbis efferre. Deſtinato id facimus conſilio; etenim ubi definitio ſyſtemati inſerenda, iis verbis concipi debet, quibus ad demonſtrandum propoſitiones inde pendentes aptior efficitur: id quod apparet, ubi demonſtrationes actu condimus.

IIII. *Definitio Servitutis emendata.*

§. II. Libertati opponitur ſervitus. Eſt vero notio ſervitutis clarior notione libertatis, adeo ut, illa praemiſſa, liber definiri poſſit per eum, qui ſervus non eſt, & libertas per ſtatum civilem, quem habet is, qui ſervus non eſt. Quamobrem quum de definitione libertatis dixerimus; res ipſa poſtulare videtur, ut definitione ſervitutis uberiorem lucem eidem affundamus. Haec ratio nos impulit, ut ad defini- *Definitio ſervitutis in iure romano.*

nitio-

nitionem ſervitutis, qualis traditur in iure romano, examinandam animum adverteremus. Definitionem ſervitutis denuo tradit *Florentinus* (*a*), quae & Inſtitutionibus inſerta legitur (*b*): *Servitus*, inquit, *eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur*. Perſuaſum fuit iuriſconſultis romanis, ſervitutem iure gentium fuiſſe introductam (*c*). Atque ea ratio fuit, cur *Florentinus* ſervitutem definiat per conſtitutionem iuris gentium. Etſi autem interpretes exiſtiment per metonymiam hic poni cauſſam pro effectu, conſtitutionem iuris gentium pro re iure gentium conſtituta (*d*); non tamen hoc pacto ſalvatur genus definitionis: eſt enim nimis remotum, nec in definitione ponendum, quod ſervitus ſit iuris gentium; ſed demonſtrandum potius eſt, ſervitutem, qualis viguit inter romanos, & definiri debet, eſſe iuris gentium, non naturalis, in eo ſcilicet ſignificatu, quo iuriſconſulti romani ius naturae, & gentium a ſe invicem diſtinxerunt, quemque anno ſuperiori explicavimus. Genus adeo emendatione indiget. Differentiae ſpecificae loco additur, quod quis hac conſtitutione dominio alieno ſubiiciatur, diciturque id fieri contra naturam. Si metonymiam interpretum admittas, non ſatis commode dicitur, re iure gentium conſtituta ſubiici quemdam alieno dominio: commodior videtur dictio, ſi nulla metonymia admittatur, quam non minus logica aegre fert, quam grammatica. Sed haec obiter dicta ſunto, quum in cen-

(a) *l.* 4. *§.* 1. *D. de Statu Hominum.*
(b) *I. §.* 2. *de Iure Perſon.*
(c) *l.* 4. *D. de Iuſt. & Iure.*
(d) *Vid. Vinn. in Comment. ad Inſt. h. t.*

cenſendis aliis ſcrupuloſiores eſſe nolimus, nobisque in praeſenti non tam verba, quam res curae cordique ſint. Diſtinguuntur adeo ſervi a liberis hominibus per id, quod ſervi ſint in dominio alieno, liberi autem homines in dominio proprio; vel ſimpliciter loquendo, quod illi ſint in dominio, hi autem in dominio non ſint. Sumitur autem vox dominii in eodem ſignificatu, quo ſumitur, quando de rebus uſurpatur, & ius ſeu facultatem moralem denotat de re pro arbitrio nomine proprio diſponendi (*a*), ut adeo dominio alterius is ſubiici dicatur, de quo alter iure pro arbitrio ſuo nomine ſuo diſponere valet. Quod homo dominio alieno contra naturam ſubiiciatur, ex eorum numero eſt, quod demonſtrari, minime autem in definitione ſumi debet, ubi ſyſtema demonſtrativum condere libuerit.

§. 12. Quod definitioni conveniat genus, ex iis intelligitur, quae de libertate dicta ſunt. *Definitio ſervitutis.* Sunt enim libertas, & ſervitus duae ſpecies oppoſitae, quae adeo idem genus habere debent. Et non minus ex tituli inſcriptione, quae eſt de Statu Hominum, colligitur genus eſſe debere ſtatum hominis, quam idem paullo ante de libertate cellegimus. Differentia ſtatus ſervitutis a ſtatu libertatis ſatis aperte traditur a *Florentino*, modo omittas, quae omitti debere modo oſtendimus. Definitur adeo *ſervitus* in ſenſu iuris romani, quod ſit ſtatus hominis, quo in dominio alterius eſt. Unde conſequitur, eum actiones ſuas lege civili non determinatas arbitratu alterius determinare, adeoque in actione com-

(a) *Vid. Struvius Iuriſprud. Rom. Germ. lib. 2. tit. 1. §. 15.*

committenda vel omittenda alterius iudicium ſequi debere. Convenit in hoc cum ſervis conductitiis, quales nunc habemus, quod in actionibus lege civili non determinatis determinandis alterius arbitrium ſequi teneatur, non ſuum: haec tamen differentia intercedit, quod in ſervitute romanorum arbitrium alterius, quod ſequi tenebatur ſervus, eſſet illimitatum, apud nos vero limitetur per contractum locationis conductionis; quodque apud romanos ſervitus eſſet perpetua, nec finiri poſſet, niſi voluntate domini, apud nos vero conductitia ex contractu habeat durationem, conſequenter ſervi conductitii per temporis quoddam ſpatium ex alieno arbitrio actiones ſuas determinare teneantur, ſervi autem proprii per omnem vitam. Quod ſi haec accuratius perpendas, a ſervis conductitiis atque propriis abſtrahere licet aliquod genus commune, ſub quo tamquam duae ſpecies continentur. Etenim quum ſervi romanorum, & ſervi noſtri conductitii in eo conveniant, quod in actionibus lege civili liberis determinandis alterius perſonae privatae arbitrium ſequi teneantur; quemadmodum modo expoſuimus, *ſervus in genere* erit homo qui actiones lege civili liberas ad alterius perſonae privatae arbitrium determinare tenetur. Et quia inter ſervum romanum ſive proprium, & inter conductitium haec differentia intercedit, quod illius ſervitus ſit perpetua, huius vero ſervitus non niſi temporaria; quod illa ſit abſoluta, haec ex pacto limitata, *ſervus proprius*, quales fuerunt ſervi romanorum, eſt, qui eſt in dominio alterius; *ſervus* vero *conductitius*, qui ad praeſtandas operas alteri ex pacto, aut, ſi mavis, ex contractu obliga-

ligatur. Ex hiſce enim definitionibus fluit, quod ſervus proprius teneatur ad praeſtandas domino operas quascumque per omnem vitam; hic vero tantummodo ad eas, ad quas ſe vi pacti ſeu contractus obligavit ad tempus contractu definitum. Quod ſi malis *ſervum proprium* definire per eum, qui per omnem vitam actiones ſuas lege civili non determinatas ad alterius perſonae privatae arbitrium determinare tenetur; *ſervum* autem *conducititium* per eum, qui per tempus ſuo conſenſu definitum actiones quasdam lege civili non determinatas ad alterius perſonae privatae arbitrium determinare tenetur, pacto expreſſo vel tacito definitas, ut clarius appareat, quomodo ſpecies regulis logicis convenienter ex notione generis deducantur; ex priore facili ratiocinio colligetur, ſervum proprium eſſe inſtar iumentorum in dominio noſtro, conducititium vero non obligari, niſi ad operas praeſtandas, quasvi contractus debet.

V. *Definitiones Ingenui, & Libertini.*

§. 13. Sunt etiam in iure romano definitiones, quae nullam prorſus emendationem exigunt, etiamſi ſyſtemati demonſtrando ſint inferendae, modo in eodem rite collocentur, ut, qui eas ingrediuntur termini ante fuerint definiti. Refero huc definitiones ingenuorum, & libertinorum. Definitionem ingenui dedit *Marcianus* (a). definit is *ingenuum* per hominem, qui ex matre libera naſcitur. Et haec *Ingenui definitio.*

P defi-

(a) *l.* 5. *§.* 2. *D. de Statu Hom.*

definitio ſufficit iis omnibus demonſtrandis; quae de ingenuis in iure romano traduntur. Equidem in Inſtitutionibus (*a*) *Ingenuus* definitur per eum, qui ſtatim, ut natus eſt, liber eſt: ex ea vero demonſtrari nequeunt, quae de ingenuis ſancit ius romanum, quum deſint determinationes civiles, quae definitionem ingredi debent in ſyſtemate demonſtrativo, quemadmodum nuper oſtendimus. Me autem non monente intelligitur, definitionem libertatis praemittendam eſſe definitioni ingenui, ut conſtet, quaenam mater libera dicatur. Deinde explicandum eſt definitione nominali, quid ſit *ex matre libera naſci* in ſenſu iuris romani: ſcilicet quod is *ex matre libera naſci* dicatur, cuius mater vel tempore conceptionis, vel geſtationis, vel nativitatis libera. Etſi enim ſint rationes, cur iuriſconſulti romani libertatem conceſſerint infanti, etiamſi mater tantummodo libera fuerit tempore conceptionis, vel geſtationis; non tamen opus eſt, eas in ſyſtemate demonſtrativo ſcrutari. Etenim in genere tenendum, arbitraria ſumi poſſe, & ad terminos conſuetos reducta definitiones nominales largiri: ſit ita alibi, in iure nimirum naturae ac politica talia demonſtranda eſſe. Exemplo nobis ſunt ipſi mathematici, quod ſatis ſuperque perſpectum habent, quot quot ad methodum attentionem afferunt ſufficientem. Ita arithmeticus ſumit notarum numericarum valorem tamquam arbitrarium abſque demonſtratione, etſi in arte characteriſtica demonſtrari poſſit ac debeat. Similiter aſtronomus abſque demonſtratione ſumit, quod ſine ea poſſibile intelligitur, per data utcumque duo

(*a*) *princ. de Ingen.*

duo puncta in ſuperficie ſphaerae caeleſtis duci poſſe circulum maximum, & eius arcum inter duo puncta interceptum diſtantiam eorum appellat, unde ipſi definitio *diſtantiae ſtellarum* nominalis naſcitur, ut ut ex notione generali diſtantiae demonſtrari poſſit, arcum iſtum eſſe diſtantiam. Salvis enim iis, quae in aſtronomia de diſtantiis ſiderum demonſtrantur, ac ex diſtantiis porro deducuntur, ignoratur, arcum iſtum eſſe diſtantiam: abunde ſufficit noſſe, quod is diſtantia appelletur, nec diverſum quid ab eo in aſtronomia diſtantiae nomine indigitetur. Nos in matheſi varia, quae ſumi poterant (quod etiam praeſens exemplum pertinet) demonſtravimus, ut eadem cum diſciplinis philoſophicis connecteremus, atque philoſophiae primae utilitatem, ipſiusque methodi rationem interiorem in luce clariori collocaremus.

§. 14. Definitio libertini deſumta eſt ex *Caii* Inſtitutionibus. *Libertini*, inquit (*a*), ſunt, qui ex iuſta ſervitute manumiſſi ſunt. Haec definitio abſque ulla mutatione ſyſtemati inferri poteſt, modo praemittatur definitio manumiſſionis. Eam vero praemitti methodus demonſtrativa iubet: neque enim libertinus concipi poteſt abſque manumiſſione, neque manumiſſio abſque ſervitute. Quamobrem leges illius methodi poſtulant, ut primo loco agatur de ſervitute, deinde de manumiſſione, & tandem de libertinis. Praeterea explicandus eſt terminus iuſtae ſervitutis, qui definitionem ingreditur. Ubi autem tradita ſunt, quae de ſervitute leges praecipiunt, ſine ullo negotio ſubnectitur terminus iuſtae & iniuſtae ſervitutis. *Iuſta* nimirum

Definitio libertini.

(a) *l. 6. D. de Statu Homin.*

mimum *ſervitus* eſt, quae legibus convenit, ſeu ex cauſſa legi probata oritur; *iniuſta* vero *ſervitus* eſt, quae legibus repugnat, ſeu ex alia cauſſa oritur, quam quae lege approbatur. Quod ſi igitur leges de ſervitute praemittantur, quaenam ſint iuſtae cauſſae, illico conſtabit. Quod ſi terminos in definitionibus iuris obvios explicare, illasque explicationes tamquam definitiones nominales praemittere velis; plures definitiones prorſus immutatas retinere licebit, quam forsan exiſtimaveris. Exemplum habemus in definitione tutelae, de qua in ſuperioribus diximus. Videtur primo intuitu tenebris cimmeriis obſcurior, ut impoſſibile videatur per eam intelligere, quid ſit tutela, multo minus fieri poſſe exiſtimetur, ut, quae de tutela praecipiunt leges, inde demonſtrentur: vidimus tamen in ſuperioribus eodem artificio, quod hic commendamus, eam in ſyſtemate ſervari poſſe. Plurima veterum pariter ac recentiorum placita ita comparata ſunt, ut explicatione ſalventur; propterea quod non commoda dictione ſemper exprimuntur, quae recte cogitantur.

An definitiones in iure emendare liceat

§. 15. Sufficiant haec de definitionibus iuris ſpecimina, ut intelligatur, quomodo in iis emendandis verſari debeat demonſtrationes in iure daturus. Quod ſi dubium oriatur, num definitiones in iure contentas immutare liceat; dubium hoc abſque ulla difficultate tollitur. Nihil in definitionibus mutare licet, quatenus ſpectantur ut leges; licet autem mutare, quod conveniens viſum fuerit ut mutetur, quatenus ſpectantur ut definitiones. Nimirum ex logica conſtat, definitionibus qua talibus nullam ineſſe affirmationem & negationem, conſequen-

ſequenter per ſe nullam ineſſe veritatem; tum autem demum aliquid affirmari vel negari, quatenus ſupponis aliquod ens, cui praedicata iſta conveniunt ſingula, tum etiam omnia ſimul, quae in definitione continentur. E. gr. ſi verba *Caii* (§. 14.): libertini ſunt, qui ex iuſta ſervitute manumiſſi ſunt: pro definitione accipias; libertinorum nomine intelligi debere eos ſumis, qui ex iuſta ſervitute manumiſſi ſunt; non vero affirmas eſſe homines in iuſta ſervitute, & ex eadem manumitti poſſe. Quamobrem ſi vel maxime neges, definitionem iſtam eſſe regulis logicis convenientem, nec ad demonſtrationes legum de libertinis aptam; non tamen ideo negas, iuſtam quamdam dari ſervitutem, & ex eadem ſervum manumitti poſſe. Et ubi definitionem vel totam vel ex parte mutaveris, nihil tamen in iure romano mutaveris; & dum definitioni dicam ſcribis, nihil tamen in ipſis legibus reprehendis. Non abſurdam, nec impiam cenſes ſervitutem, quam leges romanae iuſtam pronunciant: nec reprehendis ius romanum, quod ſervos manumitti permiſerit. Immo ſi libertinum definires per perſonam liberam, quae antea iure erat ſervus; exinde demonſtrare deberes, & poſſes, quod libertinus fuerit ex iuſta ſervitute manumiſſus. Exemplo intellectu admodum facili utor, ut evidentius appareat veritas. Legibus non contradicit, qui definitiones in propoſitiones reſolvit, & ſingulas pro legibus agnoſcit; definitionem vero talem exſtruit, qualem ad leges demonſtrandas aptam deprehendit. Neque etiam ideo verendum, ut ſignificatus vocis mutetur: quando enim leges de re quacumque ex

definitione eius, quam conſtruxiſti, demonſtrari poſſunt, genuinum omnino nominis, quo ea indigitatur, ſignificatum ſanctiſſime cuſtodis. Norunt haec ſatis ſuperque, qui in matheſi verſati ſunt; & rationem a priori capiunt, qui Opus noſtrum Logicum attenta mente pervolverunt (a), praeſertim ubi genuinam entis notionem integro capite in Ontologia a nobis evolutam diſtincte perceperint. Sane ſcriptores conicorum ſectiones conicas non uno modo definiunt, eumdem tamen ſignificatum pertinaciter retinent. Quod enim unus ſumit in definitione, id alter ex eo, quod ipſe in eadem ſumſit, demonſtrat. Neque datur praeſtantior modus genuinum terminorum iuridicorum ſignificatum demonſtrandi, quam ubi dentur definitiones, ex quibus leges ſingulas demonſtrare licet, abſque omni critico molimine, quo, ſi te artificem probaveris, ſignificatum termini ultra probabilitatis leges non ſtabiliveris. Data opera haec monemus, ut a praecoce cenſura ſibi caveant methodi demonſtrativae imperiti, quaſi iſtiuſmodi definitionum immutatione a mente iurisconſultorum romanorum recedatur, & legibus alienus ſenſus affingatur. Ii enim ſunt hodie multorum mores, ut ſibi ſapere videantur ultra ea, quae intelligunt, & ſibi iudicum partes ſumant, qui ſi in diſcentium numero eſſe mallent, famae ſuae magis conſulerent.

Definitiones quomodo limandae. §. 16. Notandum vero in primis venit, non eſſe exſpectandas definitiones prorſus limatas in iure, antequam leges ipſas ſolide demonſtraveris. Accurata enim cenſeri debet defini-

(a) *Vide* §. 172. *& ſeqq. Log.*

finitio, ſi nec plura, nec pauciora continet, quam quae ceteris inde demonſtrandis ferviunt. Id vero tum demum ipſo opere experieris, ubi demonſtrationes dederis. Immo quum perinde ſit, quaenam in definitione ex rei praedicatis ſumantur, ut cetera inde demonſtrentur, modo ſumas, quae rei conveniunt; ex quibuſdam autem ſumtis cetera facilius demonſtrentur, quam ſi alia ſumere libuerit: definitiones, quae extra ſyſtema omnium optimae videntur, in eodem immutandae veniunt, ut facilius fluant definitiones. Quamobrem ſi quis ſyſtema demonſtrativum iuris romani condere voluerit, ei minime ſuademus, ut eas praeciſe retineat definitiones, quas in anterioribus dedimus. Etenim ſi ipſimet eum in nos laborem ſuſciperemus, non nobis religioni duceremus alias iiſdem ſubſtituere, vel, ſicubi opus ſit, limatiores efficere. Iubet enim ipſa methodus, ut id faciamus, quum initio quidem communiter ponantur definitiones, ut ut ultimo demum loco condantur, ubi inventorem egeris, & de iſtiuſmodi rebus ſermo fuerit, quibus conſuetudo loquendi aliquod nomen vindicavit. Accedit, quod in ſyſtemate termini quidam fiant perſpicui atque utiliter in definitionibus adhibeantur, quae extra ſyſtema, ſi non prorſus obſcuri ſunt, aliquid tamen obſcuritatis alere videntur, adeoque definitionem obſcuram reddunt, ut non ſatis intelligatur. Ita extra ſyſtema non plena luce radiat definitio, quod ſervus ſit homo, qui eſt in dominio alterius; pleniori fulgere cenſebitur, quae ſervum dicit hominem, de quo alius pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, ſeu diſponendi ius habet: ut ut in

P 4

in ſyſtemate utraque eadem luce radiet, ubi terminus dominii ante explicandus, quam de ſervitute agere poſſis. Eodem modo ſeſe res habet in matheſi, etiam in iis, quae maxime obvia ſunt. Si in ſyſtemate figuram regularem definias per figuram aequilateram, & aequiangulam: omnem perſpicuitatem habet definitio, quam habere poteſt; quoniam in anterioribus definitur, quaenam figura ſit aequilatera, quaenam aequiangula. Enim vero extra ſyſtema, ubi termini figurae aequilaterae & aequiangulae non praeſupponuntur definiti, ac ex definitione intellecti; facilius ab unoquoque intelligetur definitio quod ſit figura, quae lineis rectis inter ſe aequalibus terminatur, & cuius ſinguli anguli ſunt inter ſe aequales. Immo ſi cui nec angulus quid ſit perſpectum fuerit; ei magis arridebit definitio, quod ſit figura, quae lineis rectis inter ſe aequalibus terminatur, quae aequaliter ad ſe invicem in punctis concurſuum inclinantur. Rideretur vero, qui talem definitionem ſyſtemati inferret. Quid igitur in definitionibus conveniat, tum demum plene proſpicitur, ubi ipſum ſyſtema conditur. Ultimam adeo limam definitiones demum exſpectant, ubi propoſitiones inde pendentes demonſtratae, & definitiones a ſe invicem pendentes ordinatae fuerint. Definant ergo mirari, cur definitiones bonae ſint adeo rarae extra matheſin, qui de definitionibus iudicare valent! Ubi noſtra methodo diſciplinae philoſophicae omnes inter ſe ac facultates ſuperiores cum iiſdem fuerint connexae; definitiones quoque exactiſſimae condentur, quae ad amuſſim ſatisfacient regulis logicis. Initio tamen non opus eſt, ut nimis

ſimus

ſimus ſcrupuloſi in definiendo. Sufficit in re nihil deſiderari poſſe, quamvis in dictione emendari adhuc nonnulla queant. Etenim demonſtrationes legitime procedunt, & definitiones ipſae recte ac promte in dato caſu applicantur, ut ut dictio nondum ſit adeo praeciſa. Ceterum apparet neceſſitas condendi ſyſtemata in omni diſciplinarum genere, ut cognitio humana fiat exacta, & a confuſione liberetur.

Quaenam in condendis definitionibus ſyſtematicis iuris obſervanda potiſſimum.

§. 17. Antequam hinc diſcedamus, unica adhuc movenda eſt quaeſtio, nimirum utrum in ſyſtemate in condendis definitionibus magis habenda ſit ratio demonſtrationum, an applicationis earumdem ad uſus obvios. Duplicem enim definitiones habent uſum, tum ut cetera, quae rebus conveniunt, ex iis, quae in definitionibus ſumuntur, demonſtrentur, tum ut earum ope res obviae agnoſcantur, & ad ſua genera ſuaſque ſpecies reducantur. Conſtat autem iis, qui ſcientias demonſtrativa methodo excoluerunt, alias definitiones eſſe commodiores ad demonſtrandum, alias vero ad uſum, quem in applicatione eorumdem praeſtare debent. Merito igitur quaeritur, ſi caſus iſtiuſmodi in condendo ſyſtemate sese offerat, ut eadem definitio utrique uſui non aeque apta deprehendatur, quinam alteri ſit praeferendus. Non dubito fore plurimos, qui exiſtimaturi ſunt, tales potius conſtrui debere definitiones, quae facilem admittunt applicationem, quam quae faciliorem pariunt demonſtrationem. Nec ſine ſpecie veritatis tale quid affirmabunt: etenim demonſtrationes non alium habent uſum, quam ut veritas propoſitionis comprehendatur, adeoque ſemel intellectae iterum oblivioni dantur, poſt-

aliud propoſitum fuit, quam ut regulas in Diſſertatione ſuperiori de Definitionibus Iuris ad Syſtema Demonſtrativum Aptandis datas exemplis illuſtraremus. Conducunt igitur ſcopo noſtro exempla, quae ſua sese facilitate commendant; tanto profecto meliora cenſenda, quo ſunt faciliora. Quod ſi enim difficilia fuerint exempla, ut in ipſis defatigetur attentio; nihil eius relinquetur ad illorum cum regulis conſenſum perpendendum. Dedimus alias definitiones, in quibus evolvendis plus artis opus eſt, initio huius tractationis commemoratas: nec nobis difficile fuiſſet alias proferre, quae iſtis ſunt profundius eruendae, maximae ſimul utilitatis. Sed tales dandas eſſe iudicavimus, quas praeſens inſtituti ratio poſtulat: neque enim vanitati litamus, ſed veritati ac lectoris utilitati.

DIS-

DISSERTATIO III.

DE RATIONIBUS LEGALIBUS LEGUM.

Inſtitutum auctoris. §. 1. NUUM nuper de iuriſprudentia civili in formam demonſtrativam redigenda ageremus, mentionem iniecimus rationum legalium(*a*). Equidem ibidem iam dixi, quid ſibi velint rationes iſtae; conſultum tamen mihi videtur, ut paullo uberius de iis dicam ſententiam. Non iam repeto ibidem dicta; quaedam tamen uberius erunt explicanda. Dixi *rationes legales* appellari eas, quae ex legibus petuntur, quatenus ſcilicet per legem unam intelligitur, cur talis eſſe debeat altera (*b*). Monui praeterea rationes illas eſſe morales mediatas, quatenus nimirum legales in morales tandem reſolvuntur. Poſterius vulgo non ſatis capiunt: unde difficultates naſcuntur, ex quibus ſe-ſe extricare nequeunt. Quamombrem ut tenebras diſpellamus, & a praeiudiciis noxiis eos liberemus, qui ſolida a ſuperficiariis diſcernere nequeunt; rationes legales paullo accuratius diſcutiendas eſſe duximus.

An omnium legum dari poſſint rationes legales. §. 2. Primum igitur oſtendimus, impoſſibile eſſe, ut rationem legalem omnium legum reddamus. Rationes enim legales petuntur ex le-

(a) *Diſſertat. I. §. 6. p. 173.*

(b) *§. 5. Ontol 6.*

legibus (§. 1.): aut igitur dantur leges infinitae, quarum anterior continuo continet rationem ſequentis; aut tandem ſubſiſtendum eſt vel in una lege; vel plures leges ſi mendae ſunt abſque demonſtratione, in quas tamquam primitivas reſolvuntur ceterae. Primum abſurdum eſt, quum legum numerus finitus ſit, quod nemo non concedit: nec ſecundum obtinet, quum non una eademque res ſit, de qua leges diſponunt, atque adeo de ſingulis quaedam ſumenda ſint, antequam demonſtrationes fieri poſſint: id quod cuilibet manifeſtum, qui principia ontologica de ente, & formam demonſtrationis legitimae perſpectam habet. Admittendum igitur eſt tertium, ſcilicet quod plures leges tamquam primitivae ſumi debeant, quarum adeo ratio legalis nulla dari poteſt. Demonſtratio haec valet de omni iure civili, non tantum de romano. Quod autem in romano dentur plurimae leges, quarum rationem legalem fruſtra requiſiveris, ipſa inductione probari poteſt. Requiruntur ad teſtamentum ſeptem teſtes iure romano: ecquis vero dixerit huius legis rationem legalem dari poſſe? Immo plura diſponunt leges de teſtamentis, quarum ratio ex lege alia dari nequit. Similiter poteſtatis dominicae ratio ex lege alia reddi non poteſt. Et ex quanam lege reddi debet ratio illius, qua cavetur, ne iuramenta valida efficiant pacta, quae iuris auctoritate valida non ſunt? Enim vero non opus eſt, ut exempla plura in medium adducantur; quum iam probaverimus impoſſibilitatem reddendae rationis legalis de omni lege a priori. Quamobrem non curamus, ſi quis extra ſy-

ſyſtema rationes contortas earum legum, quas exempli loco adduximus, afferre conetur; quas citra circulum vitioſum in ſyſtemate afferre non licet. Enim vero ut appareat, quam abſonum ſit omnium legum poſtulare rationes legales, nec alias quam legales admittere velle, ſimili quodam utendum eſt. In aſtronomia explicamus regulas motus ſiderum, earumque rationes reddimus. Ecquis vero deſideraverit, omnium, quae de motu ſiderum in aſtronomia docentur, rationes dari debere aſtronomicas, ſeu a motu ſiderum petitas? Quis, quaeſo, requiſiverit a geometra, ut ſingulorum in geometria rationem geometricam a theorematis geometricis deſumtam reddat? Teſtantur Elementa *Euclidis*, nullam dari rationem geometricam definitionum figurarum, & linearum, de quibus in iiſdem agitur; nec talem afferri poſſe de axiomatis, quae ex philoſophia prima mutuo petuntur. Ita aſtronomus utitur rationibus geometricis, immo etiam mechanicis atque opticis. Sed haec adeo obvia ſunt, ut de iis plura dicere taedeat.

Rationes legum legali deſtitutarum. §. 3. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat illarum legum, quarum ratio legalis non datur, nullam dari. Dantur enim praeterea rationes hiſtoricae, dantur morales, dantur politicae, quemadmodum nuper jam inculcavi (*a*). Illarum igitur legum, quae legalibus rationibus deſtituuntur, hiſtoricae, morales, politicae dari poſſunt. Diximus paullo ante, numerum ſeptenarium teſtium in teſtamento legali ratione carere: attamen rationem habet aliam

(a) *loc. cit. p.* 170.

aliam, a ſtatu reipublicae romanae deſumtam, adeoque politicam ſpecialem. Etenim primo teſtamenta in pace in comitiis calatis fiebant, in quibus totus populus in quinque ordines diviſus praeſens erat. Quum lege XII. tabularum facultas teſtandi unicuique patrifamilias conceſſa fuiſſet, quinque adhibebantur teſtes, qui quinque ordines populi romani repraeſentabant. Sequuta deinde eſt ſollemnitas teſtandi per aes & libram, ubi imaginaria hereditatis venditio fiebat; emtor nimirum familiae ſive hereditatis ſoluto pretio rem adquirebat, aere a libripende appenſo, in praeſentia quinque teſtium. Hunc modum teſtandi tamquam ineptum tandem abrogavit praetor, dum ſe daturum bonorum poſſeſſionem edixit ſecundum tabulas teſtamentorum, in quibus ſeptem modo ſigna teſtium oſtenderentur. Septem adeo teſtibus in teſtamento opus fuit ad repraeſentandum quinque ordines populi romani, libripendem, & familiae ſeu hereditatis emtorem. Haec ipſa ratio inſinuat, numerum ſeptenarium teſtium noſtris moribus non amplius convenire. Quamvis enim ratio adſit moralis, cur plures teſtes adhiberi debeant, ſcilicet ut de veritate voluntatis ultimae certius conſtet; nulla tamen dari poteſt ratio, quae noſtris moribus valeat, cur ſeptem praeciſe teſtibus opus ſit. Similiter ante monui, poteſtatis dominicae non dari rationem legalem: datur tamen ratio moralis a iure gentium petita: quod non modo inculcat *Ulpianus* (*a*) cum *Florentino* (*b*), verum etiam hoc

(a) *l.* 4. *D. de Inſt. & Iur.*
(b) *l.* 4. *§.* 1. *D. de Statu Hom.*

hoc (a) expreſſius docet, quod ſcilicet imperatores captivos vendere, ac per hos ſervare, nec occidere ſoleant. Idem ſane obtinet in iure canonico. Dantur etiam in eo rationes legales plurimarum legum: ſed plures etiam ſunt leges, quarum rationem legalem etſi fruſtra requiſiveris, aliam tamen dare licet. Exemplum unicum attuliſſe ſufficiat. Iure canonico epiſcopi inter epiſtolam, & evangelium conſecrantur (b). Immo conſtat caeſarem quoque & reges inter epiſtolam, & evangelium conſecrari. Solus vero Papa ante hymnum angelicum conſecratur, ſi ſcilicet nondum fuerit epiſcopus. Rationem legalem hic nullam reperies: hoc tamen non obſtante, & in ipſo iure canonico redditur ratio differentiae, quae hac in parte inter conſecrationem epiſcopi, & Pontificis maximi intercedit, & nos reperimus rationem, cur epiſcopos & reges conſecrari conveniat inter epiſtolae recitationem, & evangelii celebrationem. Dicam primum de poſteriori, ita enim plenius intelligetur prior. Quando epiſcopus vel rex conſecrandus, miſſa celebratur de Spiritu Sancto pro impetranda gratia conſecrando. In miſſa de Spiritu Sancto recitatur epiſtola & evangelium primae feriae Pentecoſtes, unde & nomen habet. Quoniam itaque epiſtola agit de miraculoſa effuſione Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, cuius gratia per conſecrationem conſecrando impetranda, quemadmodum modo adnotavimus, in Evangelio autem nulla Spiritus Sancti mentio fit; recitata epi-

(a) *l. ead.* §. 2.
(b) *c. quod ſicut* 28. §. *ſuper eo* x. *de Elect.*

epiſtola convenienter admodum cantatur hymnus: Veni S. Spiritus. Invocato igitur Spiritu S., actus conſecrationis ut peragatur, conveniens eſt: quo finito, quum miſſa continuanda ſit, evangelium recitatur. Ecce igitur tibi rationem admodum convenientem, cur conſecratio fieri debeat inter epiſtolam, & evangelium, ut uno continuo actu totum negotium ſuccedat, nec actu conſecrationis miſſa interrumpatur. Actus huius continuitas ex ſollemnitatibus miſſae ſollemnis vi notionis continuitatis (a) clarius oſtendi poteſt. In promtu quoque eſt ratio, cur conſecratio fieri debeat in miſſa eaque ſollemni. Enimvero de his uberius dicere, noſtri iam non eſt inſtituti. Quum vero adeo conveniens ſit, ut actus conſecrationis inter evangelium, atque epiſtolam interponatur; cur non etiam Papa inter epiſtolam, & evangelium, ſed potius ante hymnum angelicum conſecratur? Reſpondet ius canonicum, quia poſtmodum ipſe miſſarum ſollemnia incipit, & perficit conſecratus, ceteri vero conſecrati concelebrant principaliter celebranti, ne dividatur myſterium unitatis. Nimirum conſecratus accipit a conſecratore hoſtiam. Non igitur conveniens viſum Papam, paſtorem ſupremum, eamdem accipere a manu alterius. Ipſe igitur Miſſam celebrare debet. Quamobrem quum inconveniens iudicetur, actum ſacrum eumdem ab alio incipi, ab alio finiri; Papa etiam miſſarum ſollemnia incipere, & perficere debebat. Conſecrandus igitur erat, antequam miſſae ſollemnia inciperentur, conſequenter ante hymnum angelicum ſive gloria. Patet igitur non minus in iure canonico, quam civili occurrere leges,

Q quae,

(a) *§. 554. Ontol.*

quae, etſi deſtituantur ratione legali, non tamen deſtituuntur ratione omni. Neque dubium eſt, intelligentiam legum per rationes earum fieri clariorem. Sed de utilitate huius cognitionis noſtrum iam non eſt dicere.

Rationes legales genuinae quomodo detegantur.

§. 4. Poſtquam igitur conſtat, leges alias habere rationem legalem, alias eadem deſtitui; non una oritur quaeſtio, ſcilicet undenam conſtet, utrum lex aliqua rationem legalem habeat, nec ne; quomodo rationes iſtae detegantur, & unde agnoſcantur, num ſint genuinae? Ego quidem reſpondeo, ſi iura in ſyſtema veri nominis compingantur, ſeu in formam demonſtrativam redigantur; illico conſtare, utrum lex aliqua rationem legalem habeat, nec ne, & genuinas hoc pacto rationes legales detegi atque agnoſci, ut dubitare nequeas, genuinam a te fuiſſe detectam, nequaquam vero ſpuriam tibi impoſuiſſe. Etenim in ſyſtemate, quod tam auguſtum nomen meretur, leges ſingulae ad propoſitiones determinatas reductae eo ordine collocantur, quo lex una ex altera demonſtrari poteſt (a). Tum igitur ſua veluti ſponte patet, quaenam leges ex aliis legibus demonſtrari nequeant, ſed vel abſque probatione ſumendae ſint, vel ad alia principia reducendae, ut clarius & plenius intelligantur. Neque dubitandum eſt, te in genuinam rationem incidiſſe. Quoniam enim in lege ad propoſitionem determinatam reducta legitima ratiociniorum concatenatione vi aliarum legum anteriorum ex hypotheſi, ſeu notione ſubiecti, deducis praedicatum; illas rationes genuinas eſſe nemo in dubium vocabit, niſi qui methodi omnis fuerit ignarus, & in logica

(a) *Diſſert.* 1. §. 9. p. 188.

gica veriori prorſus peregrinus ac hoſpes. Reſpondeo autem praeterea, non dari viam aliam, qua abſque formidine oppoſiti ad rationes legales pervenire poſſis. Equidem nuper monui (a), legum peritos, qui iudicio pollent, ſaepius non infeliciter aſſequi rationes legales, propterea quod leges probe intelligunt, & adeo familiares ſibi reddiderunt, ut notio uni reſpondens ſuſcitet notiones illis legibus reſpondentes, per quas illius ratio reddenda venit, ita ut aſſeverare nullus dubitaverim, illos plurimum adiuvare poſſe laborem in demonſtrandis legibus impendendum: non tamen ideo haec via priori aequiparanda, nedum praeferenda venit. Etenim ſi ea inceſſeris, fortunae magis, quam arti tribuendum erit, ubi in rationem genuinam incideris; ſaepius a via aberrabis, ut nubem pro Iunone amplectaris; & ubi in genuina invenienda felix fueris, non tamen certus eſſe poteris, multo minus alterum convinces, te genuinam reperiſſe. Non iam urgeo incommoda alia: quae commemorari poterant, ſi ſpuriam pro genuina haberi contigerit: id ſaltem adhuc obſervo, te alia quam demonſtrativa via in rationes legales inquirentem, ſaepiſſime incidere debere in circulum vitioſum, ita ut nunc legis alicuius rationem reddas ex altera lege, mox huius alterius legis rationem iterum ex illa redditurus. Non difficile nobis foret plures iſtiuſmodi circulos commemorare, nec foret difficile rationes legales ſpurias in medium afferre; ſed ne in viros egregios iniurii videamur, ſilere praeſtat. Erit enim tempus, quo haec per ſe patebunt, me tacente. Atque hinc egregius elucet uſus ſyſtematis iuris, in

Q 2 quo

(a) *loc. cit. §. 6. p.* 168.

quo ad formam demonſtrativam reducitur. Etenim de rationibus legalibus ſolliciti ſunt doctores in univerſum omnes, qui ultra vulgus ſapiunt, & non modo verba legum, ſed etiam earum vim ac poteſtatem noſſe cupiunt. Apprime igitur neceſſarium eſt, ut iurisprudentia in formam demonſtrativam redigatur. Quamobrem laudandus eſt illorum conatus, qui in iurisprudentia ad evidentiam evehenda deſudant, eoſque ut pro virili iuvet qui poteſt, par eſt. Plurimum vero falluntur, qui ſibi perſuadent, rationes legales legum iam eſſe liquidas, ut nihil in iis amplius deſiderari poſſit. Quod ſi ſingulae ad liquidum iam eſſent perductae, nullus amplius in iis aſſignandis foret diſſenſus, qualem tamen in ſcriptis doctorum obvium deprehendi nemo negare poteſt.

Quot leges ad rationem legalem requiruntur.

§ 5. Abſit autem, ut quis ſibi perſuadeat, rationem legalem ex unica ſaltem lege conſtare: fieri enim poteſt, ut ſubinde ex pluribus ſimul arceſſenda veniat. Geminum hoc praeiudicium eſt cum praeiudicio illorum, qui ſibi perſuadent, omnem probationem unico ſyllogiſmo abſolvi, conſequenter rationis loco eſſe medium terminum. Hoc ſane praeiudicium omnem ſuperficiariam doctrinam in ſcholas invexit, a qua non liberabitur genus humanum, niſi eodem expurgato. Reducantur leges ad propoſitiones determinatas: eruatur praedicatum ex notione ſubiecti: ſatis ſuperque conſtabit unica lege mediante id fieri minime poſſe. Qui elementa geometriae vel primis labris deguſtavit, is ſatis ſuperque perſpiciet, quam abſonum ſit in unica lege continuo quaerere rationem alterius legis rationem legalem admittentis. Apparet igitur

tur denuo, rationem legalem accurate determinari minime poſſe, antequam iuriſprudentia ad formam demonſtrativam redigatur. Quae de rationibus legalibus diximus, eadem etiam valent de rationibus legum ceteris. Loquuntur id exempla ſuperius allata (§. 3.). Quod ſi enim quaeſiveris, quaenam ſit ratio numeri ſeptenarii teſtium in teſtamento; plura ſunt, quae ſimul rationis vicem tenent, ſcilicet quod teſtes repraeſentent populum romanum in quinque tribus diviſum, libripendem, atque familiae emtorem. Similiter ſi quaeſiveris, cur epiſcopi & reges conſecrandi ſint inter epiſtolam, & evangelium; non ſimplex denuo ratio obtinet: dicendum enim id ideo fieri, quia in conſecratione celebratur miſſa de Spiritu S., & conſecratio perſonae praecedit conſecrationem hoſtiae & vini, ſeu elementorum terreſtrium ſacramenti. Quod ſi ſupponamus, eſſe legem ſaltem non ſcriptam, quod in conſecratione celebrari debeat miſſa de Spiritu S., & quod perſona conſecranda conſecrari debeat ante actum conſecrationis in miſſa, ſeu inter eius ſollemnia; tum ratio foret legalis, atque ex duabus legibus peteretur, non ex una. Scilicet ſi in primo caſu ſupponatur, teſtes repraeſentare debere populum romanum cum familiae emtore ac libripende; demonſtrari poteſt, ſeptem ad teſtamentum requiri teſtes. Et ſi in ſecundo caſu ſupponatur, perſonam conſecrandam inter ſollemnia miſſae conſecrari debere, & in conſecratione eiuſdem celebrandam eſſe miſſam de Spiritu S., denuo demonſtrari poteſt, eam inter epiſtolam, & evangelium conſecrari debere. Obiter obſer-

Digitized by Google

vo, ſi in rationes legum inquiramus, fieri poſſe, ut novae leges detegantur. Etenim ſubinde rationes legum tales eſſe poſſunt, ut per eas determinari poſſit, quid in dato caſu fieri debeat.

Quid proprie ſit ratio, & quomodo a principio demonſtrandi differat. §. 6. Atque ſic demum clariſſime conſtat, quidnam proprie ſit illud, quod rationis nomine venit. Sunt nimirum ea, quae in ſubiecto ſupponenda, ut per ea praedicatum determinetur, conſequenter id, quod determinationem ſubiecti in Logica appellamus (*a*), & determinantium nomine in Ontologia venit (*b*), quae eſſe rationem ſufficientem determinati itidem oſtendimus (*c*). Quod ſi ergo leges ad propoſitiones determinatas fuerint reductae; in hypotheticis ratio ſimul exprimitur, in categoricis tacite involvitur, quatenus nimirum de ſubiecto ex anterioribus ſumuntur, ut ex iis de eodem demonſtrari poſſit praedicatum. Quod ſi igitur ſubiecto adiecta conditio ex lege una vel pluribus petatur, aut ſi de ſubiecto abſolute poſito ex una vel pluribus legibus petenda ſunt praedicata, ut ex iis praedicatum eidem tribuendum tribui debere demonſtrari poſſit; ratio legis legalis erit. In caſibus ceteris eodem modo patebit, quaenam, & quales ſint legum rationes. Quo penitius itaque intelligimus, quid ſint rationes legum legales; eo clarius apparet, quam neceſſarium ſit condi iuris ſyſtema, ſeu leges demonſtrari, ut rationes legales genuinae evidenter cognoſcantur, quodque alio pacto ſine quaeſito conſtanter potiri minime detur. Quamvis

(a) §. 227. *Log.*
(b) §. 114. *Ontol.*
(c) §. 116. *Ontol.*

vis vero ſubinde ratio confuſe percepta efficiat, ut praedicatum in idea ſubiecti comprehenſum videamus; id tamen nec ſemper obtinet, nec in ullo caſu ſufficit; ut de veritate propoſitionis prorſus certi ſimus. Quemadmodum enim in primo caſu accidit haud raro, ut ridicula appareat ratio, quae tamen genuina eſt; ita in caſu altero ſaepiſſime contingit, ut ratio appareat, quae non eſt, vel ut partem eius habeamus pro integra, ſeu inſufficientem pro ſufficiente. Oſtendendum itaque eſt, rationem, quae datur, eſſe genuinam ac ſufficientem. Erit autem genuina et ſufficiens, ſi ea poſita ponitur praedicatum, quod ſubiecto tribuitur (*a*), adeoque eadem aſſumta demonſtrari poteſt, ſubiecto praedicatum convenire (*b*). Evolutio igitur rationis, ſine qua prorſus certus eſſe nequis, rationem eſſe genuinam ac ſufficientem, in demonſtratione conſiſtit. Enim vero demonſtratio non niſi rariſſime unico ſyllogiſmo abſolvitur; plerumque pluribus ſyllogiſmis conſtat eo pacto inter ſe concatenandis, quemadmodum in Logica oſtendimus (*c*). Iam ea, quae de ſubiecto ſumuntur, quaeque adeo rationem praebent, in demonſtratione ſyllogiſmos ingrediuntur per modum propoſitionis minoris, atque adeo opus eſt adhuc propoſitionibus maioribus, quas leges eſſe poſſe, nemo dubitabit, qui methodi demonſtrativae ideam animo comprehenſam tenet; re vera autem deprehendet, qui legum demonſtrationes aggredietur. Propoſitiones iſtae principia demonſtrandi ap-

(*a*) §. 118. *Ontol.*
(*b*) §. 130. *Ontol.*
(*c*) §. 492. *Log.*

pellantur (*a*), atque ideo patet, principia demonſtrandi perinde ac rationes poſſe eſſe leges, ac illa ab his accurate in dato quolibet caſu diſtingui, ſi leges fuerint demonſtratae. Qui hactenus dicta perpendit, non mirabitur deproperata de rationibus legalibus iudicia, nec ſuccenſebit illis, qui rident, quae intelligere nequeunt luminibus neceſſariis deſtituti.

Difficultas adquirendi certitudinem in rationibus legalibus.

§. 7. Ex dictis autem intelligitur, non adeo facile eſſe rationes legales genuinas a ſpuriis ſeparare, & omnes ſcopulos evitare, in quos incidere licet eas ſcrutaturo: in primis autem difficile eſſe, ut convictus evadat animus, te & genuinas rationes, & ſufficientes didiciſſe. Neque enim alia via eſt ad iſtiuſmodi certitudinem perveniendi, & ea genuinas a ſpuriis ſeparandi, quam ubi leges ad propoſitiones determinatas revocantur, hoc eſt, tales, in quibus per notionem ſubiecti determinatur praedicatum, & ex iis, quae notioni ſubiecti ſive expreſſe ſive tacite inſunt, demonſtratur, praedicatum rite iungi ſubiecto (§. 4. 6.). Enimvero quinam ad laborem iſtiuſmodi aptus reperiatur, ex iis diiudicandum, quae de iuriſprudentia in formam demonſtrativam redigenda nuper diximus (*b*). Qui methodi vim ac poteſtatem non comprehendunt, multa ſibi facilia, & iam reperta arbitrantur, quae viri experto acumine utentes difficilia deprehendunt, & in quaeſitorum numero collocant. Haec ideo monemus, ne quis aggrediatur opus, cui perficiendo impar eſt, fruſtrato ſucceſſu, & ne alii contemnant aut prorſus impediant, quo minus perficia-

(a) §. 561. *Log.*
(b) *Diſſertat. I.*

ciatur; quod non intelligunt. Atque ut id moneamus, noſtri inſtituti ratio poſtulat. Dum enim in hiſce diſſertationibus philoſophiam ad publicam privatamque utilitatem aptare ſtudemus; eius quoque ſubſidio eradicanda ſunt praeiudicia, quae in detrimentum reip. ac felicitatis generis humani diſpendium vergunt, quatenus incrementum ſcientiae impeditur, unde multum in remp. ac genus humanum utilitatis redundat.

§. 8. Neque vero exiſtimandum eſt, inutilem eſſe operam, quae in ſcrutandis rationibus legalibus impenditur. Uſum percipiunt doctores, dum in iis ſcrutandis se ſe aſſiduos praebent. Quae enim de omni ratione tenenda ſunt, ea etiam de legalibus accipienda. Quoniam rationes conſtituuntur per ea, quae ſubiecto vel ineſſe, vel quomodocumque adeſſe debent, ut per ea praedicatum determinetur; verus legum ſenſus per eas demonſtrativa ratione innoteſcit, ut adeo praeſtantior interpretandi methodus ne cogitari quidem poſſit, atque hic pulchrum dici mereatur, quod eſt difficile. Similiter quum rationes determinantes ea ſint, per quae praedicatum determinatur, ut ſine iis tribui nequeat ſubiecto; per illas quoque leges clarius intelliguntur, & facilius ac citra errorem ad facta applicantur: etenim non modo perſpicitur, ob quaenam praedicatum ſubiecto conveniat, verum etiam liquido conſtat, quaenam de facto probanda ſint, ut lex applicari poſſit. Atque tum ſimul omnium optime patebit, quando utendum ſit interpretatione extenſiva, & reſtrictiva: id quod ex ratione legum diiudicandum eſſe nemo non fatetur. Nimirum rationes lega-

Utilitas notitiae rationum legalium.

legales eum habent uſum , qui rationibus determinantibus in genere convenit. Rationes vero determinantes non alium pollicentur uſum , quam qui propoſitionum determinatarum eſt , cum his uſus tam eximius non niſi vi illarum conveniat. Quamobrem quum de utilitate propoſitionum determinatarum plurima iam inculcata ſint in his diſſertationibus ; plura in praeſente non addimus , ne eadem ſub diverſis nominibus repetere videamur,

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO IIII.

SPECIMEN LEGUM

AD FORMAM DEMONSTRATIVAM REDUCTARUM

SECUNDUM TIT. III. INSTITUT.

De Iure Perſonarum.

§. 1. Quum nuper (*a*) de iuriſprudentia civili in formam demonſtrativam redigenda diceremus ſententiam; promiſimus nos daturos ſpecimen demonſtrationum in iure, ut genuinum a ſpurio ſeparare diſcant qui illas quaerunt, nec ſibi ſcorias pro auro obtrudi improvide patiantur (*b*). Fidem datam ut liberemus, titulum Inſtitutionum de Iure Perſonarum ad iſtam formam reducere lubet, non modo quod brevitate ſeſe commendet; verum etiam quod plura nos in praeſente negotio docere poſſit, quam quae a titulo alio prolixo exſpectaveris. Quoniam brevis eſt, integrum huc apponere lubet, ut tanto evidentius in oculos incurrat eius in aliam formam converſio. Ecce tibi verba eius: *Inſtitutum auctoris.*

§. 2. Summa diviſio de iure perſonarum haec *Textus In-*

(a) *Diſſertat. I.*
(b) *loc. cit. §. 11. p. 194.*

ſtitutio-num. haec eſt ; quod omnes homines , aut liberi ſunt, aut ſervi. 1. Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) eſt naturalis facultas eius,quod cuique facere libet , niſi ſi quid vi aut iure prohibetur. 2. Servitus autem eſt conſtitutio iuris gentium , qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. 3. Servi autem ex eo appellati ſunt , quod imperatores captivos vendere , ac per hoc ſervare , nec occidere ſolent: qui etiam mancipia dicti ſunt , eo quod ab hoſtibus manu capiuntur. 4. Servi autem aut naſcuntur, aut fiunt: naſcuntur ex ancillis noſtris: fiunt aut iure gentium , id eſt , ex captivitate; aut iure civili , quum liber homo maior viginti annis ad pretium participandum ſe ſe venundari paſſus eſt. 5. In ſervorum conditione nulla eſt differentia : in liberis autem multae: aut enim ſunt ingenui , aut libertini.

Reſolutio textus in propoſitiones determinatas. §. 3. Quod ſi iam hunc titulum ad formam demonſtrativam reducere volueris : prima omnino cura eſſe debet, ut in propoſitiones determinatas reſolvatur (*a*). Neque initio nimium ſcrupuloſus eſſe debes in hac reſolutione: etenim ſi vel maxime contingat , propoſitionem non rite fuiſſe determinatam , ſed quaedam in determinatione ſubiecti , vel etiam praedicati immutanda eſſe ; error qui initio animadverti non poterat , in progreſſu conſpicuus evadit , ubi propoſitiones fuerint demonſtrandae. Quoniam enim demonſtratio non procedit , niſi quando praedicatum per notionem ſubiecti determinatur ; quid in notione ſubiecti , vel etiam praedicati deſideretur , hoc ipſo palam fit , modo methodi fueris gnarus , & rerum cognitione ſuffi-

(a) *loc. cit. p.* 193.

ſufficiente inſtructus. Ecce igitur tibi propoſitiones, in quas reſolvitur textus Inſtitutionum:

1. Omnes homines aut liberi ſunt, aut ſervi.
2. Homines liberi ita vocantur ex libertate.
3. Libertas eſt naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi ſi quid vi aut iure prohibetur.
4. Servitus eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur.
5. Servi appellati ſunt ex eo, quod imperatores captivos per hoc ſervant, quod eos vendunt, non occidunt.
6. Servi dicuntur mancipia, eo quod ab hoſtibus manu capiuntur.
7. Servi aut naſcuntur, aut fiunt.
8. Qui ex ancillis noſtris naſcitur, ſervus noſter eſt.
9. Servi ex captivitate fiunt iure gentium.
10. Si homo liber maior viginti annis ad pretium participandum ſeſe venundari patitur, iure civili fit ſervus.
11. In ſervorum conditione nulla eſt differentia.
12. In hominibus liberis multa eſt differentia.
13. Homines liberi ſunt aut ingenui, aut libertini.

§. 4. Poſtquam igitur textus in propoſitiones fuit reſolutus; altera cura ea eſſe debet, qua propoſitiones ſuperfluae eliminantur, quae in numerum vel definitionum, vel propoſitionum demonſtrativarum referri nequeunt, atque in applicatione legum nullius utilitatis ſunt: immo quum ad definiendum, quid in caſu ſingulari iuſtum ſit, nil quidquam faciant; in legum numero haberi nequeunt. Illa igitur ſuperflua aut *Superfluarum eliminatio.*

prox-

prorſus reiicienda, aut per modum ſcholiorum definitionibus ac propoſitionibus conveniente loco adiicienda, ſi quidem textum mutilaſſe videri nolis. Quod ſi ergo propoſitiones praecedentes perluſtres; attentione ſufficiente uſus cognoſces in numerum eliminandarum referri debere ſequentes:

2. Homines liberi ita vocantur ex libertate.
5. Servi appellati ſunt ex eo, quod imperatores captivos per hoc ſervant, quod eos vendunt, non occidunt.
6. Servi dicuntur mancipia, eo quod ab hoſtibus manu capiuntur.
12. In hominibus liberis multa eſt differentia.
13. Homines liberi ſunt aut ingenui, aut libertini.

Etenim propoſitio ſecunda, quinta, & ſexta etymologias hominum liberorum, ſervorum, & mancipiorum; ſexta etiam ſynonymiam vocabuli ſervi explicat. Conſtat vero, per explicationes vocum grammaticas nos nihil proficere in cognitione rerum, quum per eas non niſi intelligatur, quid permoverit homines, ut hoc potius nomen rei, veluti in noſtro caſu libero, & ſervo, impoſuerint, quam aliud: id quod convenienter ab ipſis factum fuiſſe non intelligitur, antequam rem aliunde, quam ex nominis etymologia, vel etiam ſynonymia cognoveris. Quamobrem aut propoſitio ſecunda, quinta, & ſexta prorſus eſt omittenda; aut ſecunda per modum ſcholii adiicienda ad definitionem libertatis, quinta vero, & ſexta reſervanda ſcholio definitioni ſervitutis ſubnectendo. Propoſitio decima tertia inſervit loco rationis eius, quod in duodecima affirmatur. De diffe-

differentia autem iſta, quae in hominibus liberis datur, agitur duobus titulis ſequentibus, quarto nimirum, & quinto, quorum ille de ingenuis, hic de libertinis eſt. Quamobrem utraque tantummodo digreſſionis loco ſervit, atque adeo vel prorſus omittenda, vel in ſcholium propoſitioni undecimae ſubnectendum reiicienda abſque omni explicatione. Numerus adeo propoſitionum plurimum coarctatur, quum quinque eliminatis, non niſi octo ſuperſint.

Definitionum a propoſitionibus demonſtrativis ſeparatio, & utrarumque emendatio.

§. 5. Poſtquam igitur conſtat, quaenam ſint illae propoſitiones, quae demonſtrativa methodo inter ſe connectendae; proxima cura huc redit, ut definitiones a propoſitionibus ſeparemus; illas, ſi manum emendatricem exſpectent, emendemus; his vero, ſi forma demonſtrandi, vel facilior in praxi applicatio id requirat, alias aequipollentes ſubſtituamus. Quod ſi propoſitiones reſiduas perluſtremus, vi notionum logicarum haud difficulter agnoſcimus, propoſitionem tertiam, & quartam in numero definitionum eſſe, primam vero, ſeptimam, octavam, nonam, decimam, & undecimam in numerum propoſitionum demonſtrativarum, ſive theorematum referri debere. In propoſitione tertia continetur definitio libertatis, quatenus ea denotat ſtatum hominis, unde certa in rep. romana iura dependebant. Dicitur libertas ex mente *Florentini*, naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, niſi quid vi aut iure prohibetur. Definitionem iſtam iam explicavimus nuper (a), ut adeo non opus ſit ea denuo repetere. Effecimus quoque eamdem clariorem, qualis in uſum demonſtra-

(a) in *Diſſert. II. §. 9. p. 217.*

monſtrationum deſideratur, ut eam tantummodo huc tranſcribi opus ſit: Eſt nimirum *libertas* (civilis nempe, quae naturali contradiſtinguitur) ſtatus civilis hominis, quo ipſi permiſſum eſt actiones ſuas pro arbitratu ſuo determinare, quae iure civili determinatae non ſunt; vel eſt ſtatus hominis, quo in actionibus liberis, iure civili non determinatis, determinandis ſuum iudicium ſequi poteſt, non alienum ſequi cogitur (*a*). In propoſitione quarta continetur definitio ſervitutis, quatenus ea denotat ſtatum hominis civilem, in quo certis iuribus, quae hominibus non niſi liberis in rep. romana competebant, privabatur. Definitur ſervitus cum *Florentino*, quod ſit conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. Hanc quoque definitionem iam nuper explicavimus (*b*), ut adeo huic labori in praeſente ſuperſedere valeamus. Effecimus etiam eamdem clariorem, qualem exigunt demonſtrationes, ut adeo eam huc tantummodo transferri opus ſit (*c*): Eſt ſcilicet *ſervitus* (in ſenſu iuris romani) ſtatus hominis, quo in dominio alterius eſt. Atque ita apparet, definitionem ſervi praeſupponere definitionem dominii, atque adeo ad ſervos applicari poſſe, quae de rebus, quae ſunt in dominio, quatenus in eodem ſunt, lege praecipiuntur. Propoſitiones igitur demonſtrativae non relinquuntur niſi ſex, prima ſcilicet, ſeptima, octava, nona, decima, & undecima, quae in numerum theorematum demonſtrandorum

(a) *loc. cit.* §. 10. *p.* 221.
(b) *loc. cit.* §. 11. *p.* 221. *ſſ.*
(c) *loc. cit.* §. 12. *p.* 224.

rum referri poſſunt. Primum, & ſeptimam im-mutari demonſtrationis gratia opus non eſt: abſolute altera de ſervis enunciat modos, quibus in ſervitutem rediguntur, atque adeo hoc in caſu propoſitione disiunctiva opus eſt (*a*), qualis in ipſo textu occurrit, quod ſcilicet ſervi aut naſcantur, aut fiant. Propoſitio octava de ſervis ex nativitate ad hanc formam reducitur: Si quis habet ancillam, & ex ea naſcitur proles; haec ſervus vel ancilla eſt, & quidem eius, cuius ancilla eſt mater. Etenim in propoſitione determinata, quae demonſtrationem recipit, hypotheſis continere debet ſingulas ſubiecti determinationes, & praedicatum virtualiter compoſitum in tot partes reſolvendum, quot ſigillatim demonſtrari debent. Iam propoſitio de modo, quo quis ſervus naſcitur, duas praeſupponit conditiones, nimirum quod femina ſit alicuius ancilla, & quod ex eadem naſcatur proles, ſive maſculus, ſive femina. Hae igitur conditiones in hypotheſi diſtincte ſunt exprimendae, ſi ex eo, quod ſumitur, demonſtrari debet, quod inde ſequitur. Si proles ex ancilla naſcitur, duplex de ea quaeſtio eſt, nimirum utrum ſit in ſervitute, nec ne, & cuiuſnam ſit ſervus, vel ancilla. Quamobrem praedicatum hypotheſi iſti reſpondens duplex eſt, ut adeo propoſitio prodeat copulativa, ſi ad formam logicam reducenda (*b*): id quod non modo fieri debet in uſum demonſtrationis, verum etiam in uſum commodae applicationis. Propoſitio nona, illarum quae demonſtrari debent tertia, de ſervis ex captivitate, ad hanc formam revocatur:

(a) §. 316. *Log.*
(b) §. 315. *Log.*

Si hoſtes in bello capiuntur; iure gentium in ſervitutem rediguntur. Supponitur hic notio iuris gentium ex tit. 2. & determinatio praedicati tantummodo inſinuat demonſtrandi principia ex iure gentium eſſe petenda. Quamobrem ex propoſitione prorſus omitti poterat: ſufficit enim in ſcholio eidem ſubnectendo adnotari, quod propoſitio haec ſit iuris gentium. Notionem iuris gentium, quae in iure romano obtinet, explicavimus anno ſuperiori. Propoſitio decima eam iam habet formam, quae eidem convenit in ſyſtemate demonſtrativo. Determinatio praedicati, quod quis iure civili fiat ſervus ex pacto ſeu contractu, innuit, propoſitionem hanc non poſſe prorſus demonſtrari ex principiis iuris naturalis vel iuris gentium, quia ſcilicet additur determinatio mere civilis, quod ſese venundari patiens maior eſſe debeat viginti annis. Poterat determinatio praedicati, quod ſcilicet ex pacto homo liber fiat ſervus iure civili, omitti, & in ſcholio propoſitioni demonſtratae adiiciendo moneri, quod ea habeat aliquid mere civile, quo adiecto propoſitio iuris gentium abit in legem civilem. Undecima denique propoſitio de paritate conditionis ſervorum omnium ita commode enunciatur: Servorum omnium eadem eſt conditio: aut, quum obſcurius dictum videri poſſit, quamdiu non explicatur, quid ſit eadem conditio, ita afferri poteſt: Nulla dantur iura civilia, quae uni ſervo competunt, non autem ceteris. Propoſitio haec negativa demonſtratione nulla indiget; ei tamen per modum ſcholii adiici debet, quod ideo in iure romano nulla occurrat ſervorum diviſio, quippe quae inutilis foret,

quum

quum diviſio perſonarum fundetur in diverſis, quibus in repub. fruuntur iuribus. Etſi enim multa occurreret quoad miniſteria differentia; ea tamen dominorum arbitrio relicta ex principiis iuris naturalis decidenda erant, vel iuris etiam gentium, prudentiaeque regulis.

Quomodo propoſitiones ordinandae. §. 6. Poſtquam propoſitiones in ſuas claſſes retulimus, & ad formam genuinam reduximus, porro diſpiciendum, quo ordine ſint collocandae, & quaenam ex iis, quae praeſupponuntur, ſint praetermittenda, quaenam vero in medium afferenda, & quo in loco ceteris interponenda. Primo loco utique comparere debent definitiones libertatis, & ſervitutis. Quoniam vero ſervitutis notio lucem affundit notioni libertatis, ita ut, ſi ſervitus ante definita fuerit, homo liber negative definiri poſſit per eum, qui ſervus non eſt, vel removendo ab eodem definitionem ſervi, per eum, qui in dominio alterius non eſt; definitio ſervitutis definitioni libertatis ex lege methodi praemittenda (*a*). Definitio ſervitutis praeſupponit definitionem dominii, quare quum ea demum inferius occurrat, ubi de iure rerum agitur; hic utique definitioni ſervitutis praemittenda venit, itidem ex lege methodi, quam ſequi conſtituimus (*b*). Similiter in propoſitione decima praeſupponitur notio venditionis, ſine qua ea nec intelligi, nec demonſtrari poteſt. Quoniam vero ea demum explicatur, ubi de contractibus ſermo eſt; igitur hic quoque inter principia demonſtrandi praemittenda venit, vel definitioni libertatis ſubiicienda, ſi definitiones omnes in eadem ſerie collo-

R 2 care

(a) §. 119. *Diſc. Praelim. Log.*
(b) §. 7. *Diſc. Praelim.*

care volueris, vel propoſitioni nonae immediate praemittenda, cui intelligendae ac demonſtrandae deſtinatur. Quod iam porro propoſitiones attinet; quae demonſtrationibus muniendae; facile intelligitur, primo loco demonſtrandum eſſe, quandonam quis ſervus naſcatur, quandonam fiat, antequam oſtendi poſſit, ſervum omnem aut naſci, aut fieri. Quamobrem propoſitio ſeptima octavae, nonae, decimae poſtponenda. Et quia hypotheſis propoſitionis octavae non intelligitur poſſibilis, antequam conſtet fieri poſſe, ut mater prolis ſit ancilla, ſeu ut quis ex ancilla naſcatur; ſervitus autem iure belli primum introducta: propoſitio octava poſtponenda eſt nonae. Propoſitiones igitur hoc ordine se invicem excipere debent, ut primo loco ponatur nona, ſecundo decima, tertio octava, quarto ſeptima, quinto prima, ſexto denique undecima. Cur propoſitio decima praeponatur octavae, eadem ratio eſt, ob quam eidem praeponitur nona, ſcilicet, quod per eam hypotheſis octavae intelligatur poſſibilis.

Principia demonſtrandi quomodo detegantur, & ordinentur.

§. 7. Reſtat ut dicamus de principiis demonſtrandi, quomodo reperiantur, & quo loco reponantur. Non ante conſtat, quibuſnam praeter definitiones principiis opus habeas, quam propoſitiones, quae demonſtratione indigent, demonſtres. Demonſtrationibus nimirum ad finem perductis patet, quibuſnam principiis habeas opus, eaque perpendens intelliges, num praeſupponi aliunde poſſint, an vero per modum vel axiomatum, vel lemmatum praemittenda veniant. Quod ſi in numerum axiomatum recipienda; definitionibus ſubiunguntur tamquam altera principiorum inſitorum ſpecies: ſi vero per modum

lem-

lemmatum aſſumenda, ei propoſitioni praemittuntur, cui demonſtrandae deſtinantur. Nil igitur amplius ſupereſt, quam ut rem ipſam aggrediamur, demonſtrationes propoſitionum exhibituri.

§. 8. Ecce igitur tibi titulum Inſtitutionum de Iure Perſonarum in formam demonſtrativam redactum. Quae aliunde aſſumenda ſunt ad propoſitiones demonſtrandas praeter definitiones ſub principiorum titulo hic apponemus.

Titul. III. Inſtitutionū ad formam demonſtrativam redactus.

DEFINITIO 1.

1. *Dominium* eſt ius de re aliqua pro arbitrio diſponendi.

SCHOLION.

2. Supponitur hic, quid ſit ius, quod in tit. 1. explicari debet. Denotat nempe hic facultatem agendi moralem, quae phyſicae contradiſtinguitur, ita ut quis non repugnante lege facere poſſit, quod naturaliter facere poteſt, ſeu ad quod faciendum vires ipſi ſuppetunt.

DEFINITIO 2.

3. *Servitus* eſt ſtatus hominis civilis, quo eſt in dominio alterius.

SCHOLION 1.

4. Servi ex eo appellati ſunt, quod imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent.

SCHOLION 2.

5. Dicti etiam fuerunt mancipia, eo quod ab hoſtibus manu capiuntur.

COROLLARIUM 1.

6. Quoniam ſervus eſt in dominio alterius (§. 3.), dominus vero de re ſua pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§. 1.); de ſervo quoque ſuo pro arbitrio diſponere poteſt dominus.

COROLLARIUM 2.

7. Quoniam dominus de ſervo ſuo pro arbitrio diſponere poteſt (§.6.); de actionibus quoque ſervi lege civili non determinatis pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, conſequenter ſervus in iis non ſuum, ſed domini iudicium ſequi tenetur.

SCHOLION.

8. Hinc & miniſteria ſervorum lege non fuere definita, ſed arbitrio dominorum relicta.

DEFINITIO 3.

9. *Libertas* eſt ſtatus hominis civilis, quo dominio alterius ſubiectus non eſt.

COROLLARIUM 1.

10. Quoniam igitur homo liber in nullius dominio eſt (§.9.); nemo quoque privatus de ipſo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§.1.).

COROLLARIUM 2.

11. Quia nemo privatus de homine libero pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§.10.); nemo quoque de actionibus eius lege non determinatis pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, conſequenter nullius privati iudicium in actionibus ſuis iure non prohibitis determinandis ſequi tenetur.

COROLLARIUM 3.

12. Quum homo liber in actionibus ſuis iure non prohibitis determinandis nullius privati iudicium ſequi teneatur (§.11.); ſuo arbitratu eas determinare valet, ſeu ſuum de iis iudicium ſequi poteſt.

COROLLARIUM 4.

13. Et quia nemo quoque de ipſo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt (§.10); ipſe de ſe pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, quatenus

nus iure non prohibetur.

SCHOLION 1.

14. A libertate homines dicuntur liberi, quae per ſervitutem tollitur.

SCHOLION 2.

15. Dicitur libertas facultas naturalis, quod a natura homines omnes liberi naſcantur L. 4. D. de I. & I. & pr. I. de Libert.

SCHOLION 3.

16. Quoniam igitur iure gentium ſervitus introducitur, ideo contra naturam homo fit ſervus, hoc eſt, etſi in natura eius nulla contineatur ratio, cur alterius dominio ſubiici debeat, quum, libertate ſua quo minus utatur, nullus rationis ac prudentiae defectus in eodem notetur.

DEFINITIO 4.

17. *Emtio venditio* eſt contractus de re certa pro certo pretio tradenda, ſeu in dominium alterius transferenda.

SCHOLION.

18. Supponit haec definitio notionem contractus, ſed eam hic explicari opus non eſt, quum ea explicite non ingrediatur demonſtrationem alicuius propoſitionis ſequentis per modum principii.

PRINCIPIUM 1.

19. *Hoſtes in bello captos in eum ſtatum redigere licet, quo amplius nobis nocere non poſſunt, ſuntque remedia leniora praeferenda durioribus.*

SCHOLION.

20. Principium hoc deſumitur ex iure gentium, & quidem pars prima ex iure belli, altera vero ex iure adverſus vim alterius ſe defendendi.

PROPOSITIO I.

21. *Si hoſtes in bello capiuntur; in ſervitutem eos redigere licet.*

DEMONSRTATIO.

Etenim ſi hoſtes in bello capiuntur, in eum ſtatum eos redigere licet, quo nobis amplius nocere non poſſunt (§. 19.). Enim vero ſi quis in ſervitutem redigitur, non ſuum, ſed domini iudicium in actionibus ſuis determinandis ſequi tenetur (§. 7.), adeoque in eum ſtatum redigitur, ut nocere amplius non poſſit, etſi velit. Et quamvis idem obtineatur, ſi occidatur; quoniam tamen remedia leniora praeferenda durioribus (§. 19.), ſervitus caedi praeferenda. Hoſtes igitur in bello captos in ſervitutem redigere licet.

SCHOLION I.

22. Quoniam in demonſtranda propoſitione praeſente utimur principio primo (§. 19.), quod ex iure gentium deſumitur (§. 20.), ſervitus vero ex eo originem, ſicuti nomen (§. 4.) duxit, quod captivi non fuerint occiſi, ſed iumentorum inſtar dominio privatorum ſubiecti; ſervitus iure gentium conſtituta dicitur.

SCHOLION 2.

23. Propoſitio nimirum haec eſt iuris permiſſivi, non praeceptivi. Quod vero in iure gentium eſt iuris permiſſivi, id per modum praecepti iure civili introduci poteſt. Unde lege civili praecipiebatur captivos in ſervitutem redigi; prohibebatur eos occidi.

PRINCIPIUM 2.

24. ***Homo viginti annis maior tanto iudicio pollet, quantum ſufficit ad diſcernendum, quid inter libertatem, & ſervitutem interſit.***

SCHOLION.

25.

25. Determinatio mere civilis eſt. Leges autem civiles diſponunt de eo, quod fit ut plurimum l. 3. D. de Leg. nec caſus rariores morantur; qui ubi aliquando occurrunt, non adeo ſtricte inhaeretur regulae, ut ab eadem exceptio non admittatur.

PRINCIPIUM 3.

26. *Qui ſe venundari patitur ad pretium participandum, ſemetipſum vendidiſſe cenſendus eſt.*

SCHOLION.

27. Sumi hoc poteſt per modum axiomatis; etſi ex contractu mandati demonſtrari poſſit.

PRINCIPIUM 4.

28. *Venditor obligatur emtori ad rem venditam tradendam, ſeu dominio ipſius ſubiiciendam.*

SCHOLION.

29. Propoſitio haec deſumitur ex iure contractus emtionis venditionis, adeoque ut hic demonſtretur opus non eſt, praeſertim quum ex definitione manifeſta (§. 17.) per modum axiomatis ſumi poſſit.

PROPOSITIO 2.

30. *Si homo liber maior viginti annis ad pretium participandum ſeſe venundari patitur, ſervus fieri debet emtoris.*

DEMONSTRATIO.

Homo liber de ſeipſo pro arbitrio ſuo diſponere poteſt, quatenus iure non prohibetur (13.[2]). Quare quum lex nulla prohibeat, quo minus ſe vendat, *per hypoth.* ſeipſum quoque vendere poteſt. Et quoniam ſemetipſum vendidiſſe cenſendus eſt, qui ſe venundari patitur ad pretium participandum (§. 26.); ſi homo liber ſe venundari patitur ad pretium participandum; ſemetipſum vendidiſſe cenſendus eſt, adeoque emtori obligatur ad ſe dominio ipſius ſubiiciendum

dum (§. 28.). Quoniam itaque per venditionem tranſit in dominium emtoris *per demonſtrata*, quumque viginti annis maior ſit *per hypoth*, tanto iudicio pollet, quantum ſufficit ad diſcernendum, quid inter libertatem, & ſervitutem intérſit (§. 24.), conſequenter contra validitatem contractus emtionis venditionis imbecille iudicium per modum exceptionis opponere non poteſt; ſervus emtoris fieri debet.

S C H O L I O N. 1.

31. Acutiores deſiderabunt in hac demonſtratione, quod quaedam occurrant, quae non ſufficienter evoluta ſunt, ſcilicet quae ad firmandam validitatem contractus afferuntur. Enim vero ubi tituli eo ordine retineri debent, quo in Inſtitutionibus occurrunt, fieri non poteſt, ut omnia ad amuſſim exigantur: quin potius quaedam ſubinde admittenda ſunt, quae maiorem claritatem ac evidentiam, independenter tamen ab iis, quae demonſtrantur, a ſequentibus exſpectant.

S C H O L I O N. 2.

32. Demonſtrationem pariter ac hypotheſim propoſitionis ingreditur determinatio mere civilis (§. 29.), atque ideo praeſens propoſitio lex mere civilis eſt. Accedit quod quis ex pacto ſervus fieri non poteſt, niſi ſervitus, quae iure gentium licita, iure civili introducatur, atque praeterea iuris tantummodo permiſſivi ſit, quod quis ſe vendere poſſit. Unde patet, plures adhuc eſſe rationes, cur propoſitio praeſens ſit lex mere civilis. Atque ideo ſervitus, quae ex venditione eſt, iure civili introducta dicitur.

P R I N C I P I U M 5.

33. *Si ſervitus introducta conſervanda, utendum mediis eſt, ſine quibus conſervari nequit.*

SCHO-

S C H O L I O N.

34. Principium hoc ſumitur ex philoſophia prima, quae docet, ſine mediis non poſſe obtineri finem. Non autem iam diſquirimus, utrum ſervitutis conſervatio iuſte fuerit introducta, & num pro fine licito haberi poſſit. Haec enim diſquiſitio ad ius gentium pertinet, quod in iure civili ſupponitur.

P R I N C I P I U M 6.

35. *Servitus conſervari debet.*

S C H O L I O N.

36. Eſt hoc principium iuris romani, quod poſtulato mathematicorum reſpondet.

P R O P O S I T I O 3.

37. *Si quis habet ancillam, & ex ea naſcitur proles, haec ſervus vel ancilla eſt, & quidem eius, cuius ancilla mater eſt.*

D E M O N S T R A T I O.

Pone enim ex ancilla natum filium non eſſe ſervum, nec natam ex ancilla filiam eſſe ancillam: ſervis, & ancillis mortuis, exſpirabit ſervitus, nec conſervari poterit, quum caſus rarior ſit, quo quis se venundari patitur (§. 30.). Quare quum id principio iuris romani repugnet (§. 35. 36.); ex ancilla natus ſervus eſſe debet.

Idem etiam ſic directe oſtenditur. Servitus conſervari debet (§. 35.), conſequenter utendum eſt mediis, ſine quibus conſervari nequit (§. 33.). Enim vero ſi ex ancilla nata proles in ſervitute non eſt, ſervitus conſervari nequit, *per demonſtrata*. Ergo in eadem eſſe debet.

Quoniam igitur proles ex ancilla nata in ſervitute eſſe debet *per demonſtrata*; nulla vero ratio eſt, cur in alterius potius dominio eſſe debeat;

beat, quam domini, cuius eſt ancilla; eius omnino ſervus vel ancilla eſſe debet, cuius ancilla mater eſt.

PROPOSITIO 4.

38. *Servi aut naſcuntur, aut fiunt.*

DEMONSTRATIO.

Ex ancilla enim nati ſervi ſunt (§. 37.); adeoque ſervi naſcuntur. Qui in ſervitute rediguntur, quod in bello capiuntur (§. 21.), aut quod ſe venundari patiuntur (§. 30.), intercedente facto aliquo ex hominibus liberis, evadunt ſervi, adeoque fiunt. Quod ſi quis liber quocumque adhuc alio modo in ſervitutem redigitur; ex libero denuo ſervus evadit, facto aliquo intercedente, conſequenter ſervus fit. Quoniam itaque praeter nativitatem, & factum aliquod hominum concipi nequit modus alius, quo quis in ſervitutem redigitur; ſervi omnes aut naſcuntur, aut fiunt.

SCHOLION.

39. Propoſitio haec uſum habet in actionibus praeiudicialibus, quando ſcilicet quaeſtio movetur de ſtatu. Etenim ſi probare volueris eſſe ſervum, qui ſe ſervum eſſe negat, aut oſtendendum eſt, quod ex ancilla natus ſit, aut quod quum liber eſſet, talis factus fuerit. Fungitur adeo loco notionis directricis propoſitio praeſens in probanda ſervitute negantis ſe ſervum eſſe.

PROPOSITIO 5.

40. *Omnes homines aut liberi ſunt, aut ſervi.*

DEMONSTRATIO.

Homo enim quicumque aut eſt in dominio alterius, aut non eſt in dominio alterius: tertium non datur. Si eſt in dominio alterius, ſervus eſt (§. 3.): ſi in dominio alterius non eſt, liber eſt (§. 9.). Omnes igitur homines aut liberi ſunt, aut ſervi. SCHO-

S C H O L I O N.

41. Propoſitio haec denuo habet uſum in actionibus praeiudicialibus. Quando enim de ſtatu diſceptatur, aut affirmare debes te eſſe liberum, aut te eſſe ſervum, quum tertium non detur. Si alter negat te eſſe liberum, affirmat te eſſe servum; prius praeſumitur tamdiu, donec probetur contrarium, atque adeo poſterius probari debet. Intelligitur nempe hinc, ſi alterius libertatem in dubium vocamus, probandam eſſe ſervitutem.

P R O P O S I T I O 6.

42. *Nulla dantur iura civilia, quae uni ſervo competunt, non autem ceteris.*

Propoſitio haec nulla demonſtratione indiget: id quod per se patet. Neque enim alia re opus eſt, quam ut leges de ſervis, ſeu ſervitute perſonali perluſtres.

S C H O L I O N.

43. Hinc nulla obtinet in iure ſervorum diviſio, quippe quae inutilis foret.

§. 9. Ex brevi hoc atque facili ſpecimine abunde patet, quid fieri debeat, ut tituli ſinguli in formam demonſtrativam redigantur, quodque non tanta facilitate praestari poſſit, quantum ſibi imaginantur, qui nec methodi ſunt gnari, nec iura adeo familiaria experiuntur, ut ſingula veluti ſponte ſua sese ſiſtant, quoties de iis cogitandi occaſio sese offert. Scholia frequentiora, quae adiecimus, partim textus illuſtrandi, partim methodi declarandae gratia titulum reſolutum prolixum reddunt; quae vero ad ſubſtantiam eius pertinent, iſtis propemodum pauciora ſunt. Haec ideo monemus, ne quis inutiles prolixitates cauſsetur, quae ex methodo de- *Quae circa ſpecimen hoc notanda.*

mon-

Digitized by Google

monſtrativa redundent. Quae methodi illuſtrandae gratia adiiciuntur, abeſse ſemper poſsunt, quum praeſens tantummodo inſtitutum ea adiici ſuaſerit. Ceterum ex perluſtratione ſpeciminis non minus patet, quaenam ſint huius reſolutionis textus, & tranſmutationis in aliam formam commoda. Nimirum clariſſime hinc perſpicitur, quomodo titulus aliquis cum antecedentibus, & ſequentibus connectatur. Prius inde intelligitur, ſi in definitionibus occurrunt termini in titulis antecedentibus definiti; propoſitionum demonſtrationem ingrediuntur propoſitiones ex iiſdem deſumtae tamquam demonſtrandi principia. Poſterius produnt definitiones ac principia ex ſubſequentibus titulis anticipando allata. Hinc vero iam intelligitur, cur ſtudium iuris tyronibus reddatur difficile, ut in textu penitus intelligendo fruſtra deſudent, & cur methodi gnaris nauſeam moveat obſcuritas, & inevidentia, praeſertim ſi methodi ignarus fuerit docens, nec norit, quaenam ad obſcuritatem, & inevidentiam fugandam ex ſubſequentibus ſint arceſſenda; & anticipando tyroni declaranda. Mirifice igitur docentes iuvat textus reſolutio, & in formam demonſtrativam converſio, ut auditores ſuos multo laboris ac temporis compendio ad ſcientiam iuris perducant, tantam praeciſe lucem ſingulis materiis affundentes, quanta indigent, ut penitus intelligantur. Docentium officium eſt iſtam materiis lucem affundere: neque enim alia de cauſsa ipſos accedunt diſcentes, quam ut ab ipſis hauriant lucem, quam deſiderant, quum verba legum parum intellecta ipſimet propria induſtria memoriae mandare valeant, nec praeceptore habeant opus. Illam adeo lucem qui auditoribus non affundit, officio ſuo minime ſatisfacit,

nec

nec auditoribus, ſi qui de ipſo conquerantur, ſed ſibi imputare debet, quod intelligant, quantum in explendis omnibus officii ſui partibus deſiderari patiatur induſtriam ſuam. Memini olim conqueſtos fuiſſe nonnullos, quaſi ſtudio mathematico ad ſtudium iuris inidonei evadant iuvenes. Sed patet iam, quid reſpondendum ſit talia obiicientibus. Redduntur inidonei, quibus poſthac impanant docentes, quaſi textum, qui tyronibus obſcurus eſſe debet, explicaverint, etſi eorum, quae in eodem continentur, notiones claras atque diſtinctas ipſorum animis minime infuderint, tantum abeſt ut ad eas evidentiam attulerint. Quod ſi tituli ſinguli Inſtitutionum hoc pacto fuerint reſoluti, quo nos praeſentem reſolvimus, atque in eamdem formam converſi; ex definitionibus ac principiis adſcititiis palam erit, quaenam utiliter ſub principiorum iuris titulo ſtudio iuris ſint praemittenda, antequam ad inſtitutiones accedas: quorum principiorum me nuper mentionem inieciſſe memini (a). Quoniam impoſſibile eſt, ut definitio aliqua vel propoſitio ſit clara, ab omni prorſus obſcuritate liberata, quam ingrediuntur termini nondum definiti, nec notione confuſa ſaltem illuſtrati, & ut veritas propoſitionum ſit evidens, ſi demonſtrationem ingrediuntur nondum probata; ex ipſa hac reſolutione tituli eiusque ad formam demonſtrativam reductione apparet, methodum communem, qua iura traduntur, multa adhuc confuſione laborare, ut a tyrone, quae ſecundum eam proponuntur, penitus intelligi ac comprehendi nequeant, ſed ſucceſſive demum naſci debeat claritas idearum, dum aſſidua induſtria obſcuritas per ſubſequentia tollitur. Atque haec ratio eſt, cur lucem in matheſi ac philoſophia noſtro mo-re

(a) *Diſſertat. I. §. 10. p. 190.*

re pertractata experti impatienter ferant caliginem, quam menti initio ſtudii iuris affundi animadvertunt. Nullus igitur dubito fore, ut, ſi ad iura docenda accedant, qui methodum callent, ea ex ipſorum ore non minus avide hauriantur, quam philoſophiae praecepta noſtro more evoluta hauriri ſolent; & ſolida iuris doctrina animi iuvenum multo temporis ac laboris compendio imbuantur. Unicum reſtat, quod moneamus, antequam hinc diſcedamus. Quamvis in ſpecimine legum ad formam demonſtrativam reductarum definitionum, principiorum, propoſitionum, ſcholiorum, demonſtrationum titulos adiecerimus; non tamen ideo urgemus, ut iidem adiiciantur, multo minus aliis perſuadere volumus, quaſi ab iſtis titulis pendeat doctrinae ſoliditas: etenim in ipſa philoſophia eoſdem praetermiſimus. Obſervanda tantummodo ſunt, quae rem ipſam concernunt: rebus intellectis unuſquiſque titulos competentes adiiciet, quando volupe, vel uſui fuerit.

Cur non detur ſpecimen diſſertationis methodo demonſtrativa conſcripta.

§. 10. Quum nuper de iuriſprudentia in formam demonſtrativam redigenda diſſereremus, mentionem quoque iniecimus diſſertationum methodo demonſtrativa conſcribendarum (*a*). Quamobrem noſtrarum partium eſſe videtur ſpecimen aliquod diſſertationis hac methodo conſcriptae exhibere. Enim vero otium hic nobis fecit cl. *Cramerius*, iuris ac philoſophiae doctor, qui in diſſertatione de Pacto Hereditario Renunciativo Filiae Nobilis exemplo eſſe poteſt methodum demonſtrativam in conſcribendis diſſertationibus adhibituris. Quid praeſtiterit, in praefatione ad eam:

(a) *loc. cit.* §. 12.

eamdem uberius expoſuimus, ut adeo hic repetenda non ſint, quae ibidem legi poſſunt. Excitavimus ibidem attentionem lectoris ad ea, quae methodi ſunt, ne ſimile ſpecimen daturus, vel ingenii ſui vires periclitaturus ignoret, quid imitari debeat. Actum igitur agere nolumus, qui nil quidquam magis in votis habemus, quam ut alii collatis ſymbolis noſtrum in propaganda doctrina ſolida ſtudium iuvent.

FINIS TOMI PRIMI.

605645

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

S. ER-

Digitized by Google

ERRATA		CORRIGE
Ad p. 7. v. 30.	ssera	eſſera
Ad p. 25. v. 30.	hic hereditas	hinc hereditas
Ad p. 29. v. 30.	Putendorfervs	Pufendorfius
Ad p. 37. v. 17.	prnaprie	proprie
Ibid. v. 18.	perſoo	perſona
Ad p. 46. v. 23.	Magdeburgenſium	Magdeburgenſium
Ad p 49. v. 1.	Templornm	Templorum
Ad p. 65. v. 25.	dare eum potest	dare is potest
Ad p. 90. v. 22.	deſidero ratione	deſidero rationem
Ad p.96.v pen.	incer cos	Inter eos
Ad p. 101. v. 18.	Indicasteriò	In dicasterio
Ad p. 121. v. 10.	Quid	Quod
Ad p. 139 v. 5.	Indlcti	Iudicii
Ad p. 141. v. 12.	Sed Sedes	Et Sede
Ad p. 156. v. 24.	Docest	Potest
Ad p 158. v. 10.	Prime vice	Prima vice
Ad p. 160. v. 22.	Fecundae	Foecundae
Ad p. 166. v. 21.	in quinque tribus	In quinque claſſes
Ad p. 169 v. 32.	Omittis	Amittis
Ad p. 171. v. 7.	inendantur	intendantur
Ibidem v. 26.	Rarohes	Rotiones
Ad p 180. v. 31.	Suſſiciens	Sufficiens
Ad p 183. v. 6.	fueris	fuerit
Ad p 192. v. 29.	quidam	quidem
Ad p. 219. v. 1.	tacnlta: ejus	facultas ejus
Ad p. 218. v. 3.	prohibet	prohibeatur
Ad p. 220. v. 2.	disferentia	differentia
Ad p. 222. v. 15.	deflnirione	definitione
Ad p. 223. v. 26.	Cellegimus	Collegimus
Ad p. 229. v. 9.	ſumis	ſolum
Ad p. 236. v. 1.	Nuum nuper in V-risprudentia	Quum nuper in Iuriſprudentia
Ibidem v. 5.	Legaliume	Legalium
Ad p. 240. v. 2.	per hos	per hoc
Ad p. 244. v. 32.	labis	labris
Ad p. 245. v. 11.	in quinque tribus	in quinque claſſes

MONITUM.

Quae in pag. 79. huiusmodi extat notula: In democratia, & aristocratia, ex Principis placito in monarchia: *ea auctoris non eſt, ſed Caroli Gagliardi huius Operis Reviſoris regii, in Regia noſtra Univerſitate Canonum Profeſſoris.*

Re-

Reverendiſſimus Dominus D. Bartolomaeus Amoroſo Sacrae Theologiae Magiſter, & Curiae Archiepiſcopalis examinator revideat, & referat. Datum Neapoli hac die 24. Maii 1754.

Iulius Nicolaus Episc. Arcadiop. Can. Dep.

EMINENTISSIME PRINCEPS

OPuſcula varia Cl. Virorum *Leibnitz*, *Georgii Hertogii*, *Chr. Wolfii*, & *Schierschmidii*, in unum collecta, miroque ordine digesta, ac quattuor voluminibus distincta, quibus universa Iurisprudentia mirum in modum illuſtratur, E. T. mandante, attente evolvi; nihilque in eis offendi, aut Catholicae fidei, aut bonis moribus adverſum: quapropter publicam luce donari poſſe cenſeo. Datum Neapoli pridie Calendas Auguſti Anno reparatae ſalutis MDCCLIV.

Humiliſſimus, addictiſs., obſequentiſs. famulus
Bartolomaeus Amoroſo.

Attenta relatione. Reverendiſſimi Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli die quinta M. Auguſti 1754.
Iulius Nicolaus Episc. Arcadiop. Can. Dep.

V. I.

V. I. D. D. Carolus Gagliardus Regius Profeſſor Univerſitatis Studiorum revideat,& in ſcriptis referat. Die 3. *menſis Novembris* 1753.

Nicolaus de Roſa Epiſcopus Put. Cap. Maior.

S. R. M.

OPuſcula *G. G. de Leibnitz Nova Methodus diſcendae, docendaeque Iuriſprudentiae*; eiuſdem *Ratio Corporis iuris reconcinnandi*; *alia Chr. Wolfii de Iuriſprudentia ſcienter pertractanda Diſſertationes Selectae*; *Hertzogii praecognita Iuriſprudentia*, & *Schierſchmidii Elementa Iuris*, iuſſu M. V. ſedulo perlegi. Praeclara quidem lumina conquirendae, illuſtrandae, comparandaeque iuris ſcientiae iis diffunduntur. Qumque regiis, reique publicae iuribus minime adverſentur, ſed nonnullas tantum ſententias acetum tranſalpinum olentes habeant, iſtae ſi cenſuris, & caſtigationibus typographo iam indicatis corrigentur, typis neapolitanis bono litteratorum vulgari poſſe cenſeo. Neapoli die 24. Novembris 1753.

M. V.

Humillimus ſubditus
Carolus Gagliardus.

Die 5. *menſis Novembris* 1753.

Viſo Reſcripto ſuae Regiae Maieſtatis ſub die 5. *Currentis menſis, & anni ac retroſcripta relatione facta per magnam V. I. D. D. Carolum Gagliardum de commiſſione Reverendi Regii Cappellani Maioris de ordine praefate R. M.*

Regalis Camera Sanctae Clarae providet, decernit, atque mandat quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbatione dicti Reviſoris; Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

CASTAGNOLA. PORCINARI.
FRAGGIANNI. GAETA.

Ill. Marchio Danza Praeſes S. R. C. temp. ſubſcript. impeditus.

Reg. fol 54. *t.*
Carulli. Maſtellone.

ir Uni
at. Du

Maiz.

in di-
en Re,
de le
Sch-
Schw-
rilegi.
ndae
mqu
i, la
olen
typo
is bo
lic 14

rur
us.

Cor-
mis-
rat-

nit,
prae
res
Hoc

, im-

Digitized by Google

Legatoria
NIOLA
Digitized by Google